DE CONSCRIBENDA RERUM HISTORIA LIBRI DUO, QUIBUS CONTINENTUR TOTIUS HISTORIAE...

Juan Costa

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
10
9 C
3

12. 1. E. 1
~~10. 1. E. 1~~

JOANNE
Costa
de
Conscien
tia
Historia

Digitized by Google

[illegible] I

[illegible]

[illegible] in prompt[illegible] [illegible]

10-9-C-3

— [illegible]

Nomine non [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] Cap. [illegible]

[illegible] 32 [illegible]

[illegible] Vulgare. [illegible]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible]

utert apud Sunc [illegible] Cap. [illegible] fol 43

[illegible]

[illegible]

[illegible] ibi fol 51.

[illegible]

CXII: B. 45:

[illegible] acceperit [illegible] Vandet anima [illegible]

[illegible] P[illegible]entia

Vulnera quae quisque accipit, [illegible] lib. 4 in f. [illegible] indicabunt [illegible]

[illegible] graviora; dabit deus his quoque finem

[illegible] [illegible] beatis. — fol. 60

Pax.

Pax hominum genitrix, pax et [illegible] pax [illegible] fol. [illegible]
[illegible] quaestionis [illegible] et [illegible]
[illegible] Cap. 11. fol. 70

[illegible]

[illegible] magis et [illegible] Canisium l. 4 5. [illegible]
[illegible] felicem [illegible]
[illegible] opera [illegible] tacit [illegible] per [illegible] ope
[illegible] damnationem [illegible] impendunt [illegible],
[illegible] quod [illegible] see idem fol. 73.

[illegible] in pauperes

[illegible] quod [illegible] pauperes, [illegible]
[illegible] Salvian de provid. lib. 5. [illegible] Carthaginensi [illegible]
[illegible] gubernatione Cap 16.

[illegible]

[illegible] 17 fol. 63.

[illegible]

[illegible] Cato [illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible] lib
[illegible] Vitr[illegible]

Lex Pauper

Araneorum Solon. Si quid in eam inciderit, illa retinetur, grave autem perrumpit [illegible] cissa. Vel ut dixit [illegible] in Universa num. 16. [illegible]. Leges aranearum telis parantur, quae ut illic infirmiora animalia retinentur, [illegible] validiora transmittuntur, sic humiles et pauperes constringuntur, divites et praepotentes non alligantur. Val. Maxim. lib. 7. [illegible] Sapienter dicta et facta, quod sic [illegible] Poeta: Implicat ut muscas, transmittit aranea vespas, sic parcit magnis lex, humilesq. premit. Et [illegible] Curia pauperibus clausa est, dat census honores. [illegible] gaudet [illegible] vice noverca potestas. — Unde quidam alius dixit:

Sontibus parcunt boni
Iuvat in armis
Opprimit leges pudor.

[illegible] dixit: In aula Regis [illegible] multi leges,
Si qui sunt boni cogantur esse mali,
Si qui sunt mali sunt in gratia [illegible].
Qui vult esse bonus, est miser et [illegible].

[illegible] de paupere sic loquitur Iuvenal. Sat. 3. [illegible] rogat, et pugnis [illegible] adorat, ut liceat paucis cum dentibus inde reverti. [illegible] causas [illegible] negligit, divitum causas [illegible] removet, [illegible] particulariter respicit, [illegible] tatis. [illegible] Kathen [illegible] in Clementia [illegible]. Cap. 1. fol. 94.

In [illegible] gaudere victoria est.

In quacunque mundi plaga, plaga [illegible], plagas diaboli [illegible] Poeta [illegible] perfugium [illegible], et [illegible], semper mala victor eris. [illegible] fol. 96.

Scelera [illegible]

[illegible] in Act. Apost. 28. de S. Paulo dixerunt. [illegible] quem [illegible] vivere [illegible] [illegible] [illegible]

... imponi ... Lunati, quod inde Visione puniti, ibi et ... ordinatur ... in p...
... ... si puniantur ... Cavalio, ...
Cap. 2. fol. 97.

Iuste pati.

Si ... quae fuit patter ... poena. quod ap. ... cap. 2. fol. 97.
Poena facit quod non debuit, patiatur quod meruit. ... P. Contzen lib. 2. Polit.
Cap. 12. recenset

Non perit indigne quod sua culpa necat. ap. ibid.
... quid quid patiare ferendum est.
quae venit indigne, poena ... venit.

Clementia.

Thronus regis corroborari clementia. Proverb. 20. ... Claud. ... clementia nobis. ... Poetae affingunt Herculi clavam, olim coronas ut feriat ... sed ut ... misericordiae ictum leniat. Damhaud. in praxi. Criminal. C. 153. n. 6. hic ... Scilicet ... in clem. Vult. C. 4. fol. 103. ... notab... ... Clementia ... in l. hic ... n. 8. et 9. C. qui milit. possint. ... ... ; ... ... Bapt. Fragoso. ... Reip. Chri... lib. 1. ... plura item ... loc. cod. Cap. 4. n. 1. et ...

Livor

Crudelis livor est, qui vulnerum livore gaudet. Ray loc. cit. ap. ...
Cap. 5. n. 4. fol. 105.

Iustitia.

... gladium sua dextra gerit, ... lance ... ... illa ... ap. ... C. 5. n. 1. fol. 106.

Socii ... mali.

... formam ... 11. ... ... Corinth. ... ...
... ovile ... removit ... ...
... ...
... ... immedicabile vulnus ... ...
... ... Iustiniano ...

Cap. 5. Vers. 4. In tormenti Vindicia.

Novi tormenti Inventor.

... q. senuerun ingenios ... tormentos Como lo demuestra Piccard. decad. 4 histor. et observat: Cap. 6. y Bulleus ad Constitut. Criminal. Carol. 5. artic. 10. op. Ime. Cap. 6. n. 1. fol.

Autor.

... quens detractatum, quem quidam ... Composuit qui inscribit Cautio Criminal. dize Kathen: tractatus (hic) maior est, quod et mod... hominum reprobum ... lib. Cap. 6. n. 4. fol. 114.

Sevicia.

Abomina ... autor de aquel Medo, uno delos Parasitos de Alexandro q. incitando a otros q. injuria ... no temiessen el injuriar a qualquiera dando por razon ... vulnus qui dilatum est manet tamen Cicatrix. Quod refert Peckius de iure sistendi Cap. 4. n. 3 y añade: Nec quemquam diabolum esse tam impium qui ... natura potest ... Kath. ibi. n. 4. fol. 115.

De Tormentis ... alia Kathen. hic Cap. 6. a fol. 111. per tot. Cap.

Lingua.

Lingua quidem parva est, at viribus omnia vincit. ... Vide Plin. lib. 1. c. 37.

Vitium naturae.

Unicuique dedit vitium natura creato. Propertio ... qui ... qui potest ... quod ... Tiraquell. de poenis temporal. Caus. 51 in prin. ... Vitiis nemo sine nascitur. ... aliena vitia ... Seneca lib. 2. ... in oculis habemus, a tergo ... sunt. ... Mantica ... fol. 124. n. 17

Citati ad mortem.

Anno 1606 quidam miles germanus ... accidit) ... dato signo et excubias vocatus dixit: ... ad nos excubias ... quod ... Capitanus ... Capitaneum ... sanguinis ... Capitaneus ... in visitatione ... navali ... S. Ephrem in manuali politic. ... Principi lib. 5. ... 3.) y otros ... ad q. 29

[illegible]

tendo (sine provocatione ad Auctoritatem) a Bersule. tractat de appellat. c. 2 n. 13.

Actio displicuit, passio iusta fuit. permittiendo Dios por sus ocultos juizios que padezca el innocente, aunque sea injusta la accion del que ... ap. ... fol. 134. quisque itaque ... saepe affligitur, ... de S. Juan. 9 neq. hic peccavit ... y assi ... Zachar. 12 assumpsi mihi ...

Praecipitantia.

Valde dixit novercam iustitiae, ... S. Thom. 2.2. q. 53. art. 3 ad 2. ... de ... Cons. c. 5. 6. 7. — ... de hoc Kath. ... fol. 137.

Inconstantia iuris.

Vide ... hoc et humanum et quod ... sed ... quod semper, ... net aut ... in Novell. ... inspectat.

Tempus serva

Viri prudenti est, ... tempus serve, ... lib. ... Claudianum lib. 2. ... — Suprema ... Varias ...

...

...

...

...

...

... — ... n. ... 143.

Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum
quaerere. ——— ap. ... Cap. 14 n. 3. fol. 137

... et alienae

... Vol. ... n. 3. et ...

...

...

...

...

[illegible], [illegible].

[illegible]

[illegible] (Contentas [illegible] [illegible] c. 3.) [illegible] variatio [illegible] [illegible] mutatione [illegible] [illegible] fol. [illegible] et [illegible] § 11 n. 28 [illegible] Cap. et n. Ultimis

[illegible] 4. [illegible] [illegible].

[illegible] c. 12.) et [illegible] in [illegible] [illegible] Cap. 1 § 3. et [illegible] et [illegible] [illegible] Cap. 1. n. 1. fol. 165. [illegible]

[illegible]

[illegible] Cap. 6. n. 2 fol. 172

[illegible]

[illegible] Cap. 8. n. 2. fol. 175. y [illegible] fol. 176 [illegible] et [illegible] et [illegible]

[illegible]

[illegible] c. 9. [illegible] et [illegible] 5 [illegible]

[illegible]

[illegible] in Bull. [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible] fol. [illegible] —

[illegible]

[illegible] fol. 226

[illegible]

[illegible] fol. 230

[illegible]

[illegible] 233.

[illegible]

[illegible] c. 1

[illegible] 2. [illegible] 3 [illegible] 10.

[illegible]

[illegible] 1. [illegible]

[illegible] 180 [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] fol. 236.

Guilielmus Godolphin

DE CONSCRIBENDA RERVM HISTORIA LIBRI DVO, QVIBVS CONTINENTUR totius hiſtoriæ inſtitutionis breuiſsima, & abſoluta præcepta.

10-9-C-3

Auctore Ioanne Coſta Ciue Cæſarauguſtano ac legum Doctore.

Ad liberum & numquam expugnatum Aragoniæ Regnum.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Officina Laurentij Robles Aragonij Regni Typographi Cæſarauguſtæ, Anno
CIↃ IↃLXXXXI.

D.PROB.ROM.S.J.

10. 9. e. 3
XXII.B.45.

VI

CENSVRA.

CVM iuſſu ac comiſsione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſsimi domini mei D. Andreę à Bouadilla Archiepiſcopi Cæſarauguſtani, hos duos libros de conſcribenda rerum, hiſtoria legerem; me tantopere delectarunt, vt iterum atq. iterum perlegerim, in quibus nõ modo elegantiam ſermonis: ſed variam ſimul eruditionem, & admirabile in præceptis tradendis, rebuſq; diſponendis auctoris ingenium admiratus ſum. Nihil in eis reperi, quod aut Catholicæ fidei repugnaret, aut bonos mores ofenderet: ſed ſiue ad hiſtorias ſcribendas, ſiue ad ſcriptas intelligendas, mea ſentencia, nihil vtilius aut magis neceſſarium hactenus ipſe vidi: vnde digniſsimos Iudico, qui ad communem vtilitatem Typis mandandos ſtatim Typographis tradantur. Cæſarauguſtæ. 4. Calendas Aprilis 1591.

Doctor Ioan. Lopez Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA.

AMPLISSIMIS AC INTEGERrimis viris Doctori Bartholomæo Laurẽtio Priori. S. Mariæ Maioris del Pilar; Doctori Petro Torrellas, & Perellos Eccleſiæ Maioris Canonico; D. D. Bernardino Perez Pomar à Mendoça; D. D. Ludouico Ximenez ab Vrrea; Sanctio Çapata, Ioanni Ludouico Moreno ab Onaia; Michaeli Lopez ciui Cæſarauguſtano; Martino Remon Cõmunitatis Catalaiubij municipi Regni Aragoniæ Diputatis Ioannes Coſta.

S. P. D.

INTER alia multa (Octouiri Diputati ampliſsi) à diuino Platone acutè excogitata, ſapienter dicta, reſponſa prudenter; illud memoriæ proditum eſt, tunc ciuitates optimè gubernari, quando aut prudentes regerent magiſtratus, aut magiſtratus, qui regerent, prudentes eſſe cœpiſſent. Senſerat eximius ille Philoſophus Regni maieſtatem, ipſamq; Rerum public. ſalutem, non excellentia ſecundæ fortunæ, non copia fruẽdarum voluptatum, non ingenti auri aceruo;

ſed optimorum magiſtratuum prudentia, atq; multarum virtutum præſtantia contineri. Nã quemadmodum prouidi Naucleri ad nauium incolumitatem, & medici ad ægrotantium ſalutẽ ſuas omnes cogitationes refferunt: ſic optimorũ magiſtratuum mentes, & ſenſus, ad communẽ eorum, quibus præſunt, vtilitatem dirigũtur. Hoc quotieſcumq; memoria repeto, incredibili gaudio exultans gratulor Aragoniæ Regno, quòd hi ſibi ſorte Deputati contigerint, quibus neq; ad incolumitatem ſapientiores, neq; ad dignitatẽ nobiliores, neq; ad vtilitatẽ prudentiores, optare poteramus. Nã ſi ſapientiã poſtulemus, ſine qua Regni adminiſtratio penitus cæcutiret, præſunt hoc anno Bartholomæus Laurentius & Petrus Torrellas Doctores Theologi, de quorũ laudibus ſummis & maximis nullũ vnquã ſæculum, nulla ætas, nulla hominum memoria conticeſcet Etenim Bartholomæi Laurentij & plura ſunt, & maiora animi ornamenta, quam vt poßint, vel debeant breuibus Epiſtolæ finibus terminari. Teſtes ſunt huius rei ſuæ Eccleſiæ Canonici, qui ob eximias & ſingulares eius animi dotes, in eum totius Eccleſiæ ſummam detulerunt, ac Priorem nemine diſſentiente diuino quodam afflati

flati

flati numine renuntiarunt. Quos vel eo ſolo nomine fœliciſſimos iudico, quòd eum Eccleſiæ præeſſe voluerunt, tanquam in hæc tempora reſeruatum, qui ita gubernet, vt cũ dies noctesq́; vigilet, ſuos à ſomno excitet, & in prima Chriſtianitatis Eccleſia tamquam in ſpecula conſtitutus, cunctis periculis impendentibus omni ratione ſubueniat. Teſtis eſt etiam optimus illa vrbium Princeps, Eccleſiæ ſedes, religionis domicilium Roma, in qua coram Gregorio XIII. (ad quem miſſus legatus fuerat) Eccleſiæ ſuæ exemptionem, immunitatiſq́; cauſſam (quæ iam ad interitum obliuione omnium properabat) tanto animi ardore, ex bonarum artium fontibus ductis rationibus cõfirmauit, vt non modo eam inſtauraſſe, aut iacentem erexiſſe; ſed mortuam ſuſcitaſſe, atq; omnino redemiſſe videretur. Quid verò dicam de Petri Torrellas optimarum artium ſtudio, de omni liberali ac digna Theologo ab eo percepta doctrina? Quid de integritate morum? de pietate in Deum? de bonitate in omnes, qui eius ope vtuntur? Is primùm fuit in hac Academia puer admodum educatus ſub diſciplina doctiſſimorũ præceptorum, qui eius ingenium acutum & acre Philoſophia Ariſtotelica aluerunt: deinde cum

primùm ab his artibus exceſſit, in quibus pueri-lis ætas ſolet ad humanitatem penitus informa ri, ſe Salmanticam ad audiendam Theologiam contulit, vbi vberrimos diuinarum litterarum fructus percepit ex liberali Mantij inſtitutione, quem iure poſſem contendere noſtræ ætatis Theo logorum principem extitiſſe: inde Cæſaraugustã reuerſus Eccleſiæ Maioris Canonicatum pri-mùm adeptus eſt: deinde annis ſuperioribus Scho læ noſtræ Doctores Academiæ Rectorem crea-uerunt, in quo ſane magiſtratu, cum per bien-nium verſaretur, officij munerisq; ſuſcepti ra-tionem magna cum nominis laude, & Acade-miæ vtilitate abſoluit. Iamverò ſi nobilitatem ſpectemus; adſunt illuſtres admodum viri. D. Bernardinus à Mendoça, & D. Ludouicus ab Vrrea: quorum ille ex antiquiſſima in Hiſ-pania familia natus, ſemper ſtuduit, ne plus ſplen doris à maioribus ſuis hæreditario iure accepiſ-ſe, quam poſteris magna cum laude reliquiſſe vi-deretur: hic vero ex illuſtriſsimo in Aragonia genere Arandæ Comitum oriundus, ad eam lau dis æternitatem aſpirauit, vt non modo maiorũ ſuorum gloriam adequarit, ſed multis propria-rum virtutum exemplis quodammodo auxerit.

Si

Si vero non ad admirandum ſolum, ſed ad imitandum rectæ adminiſtrationis exẽplar optemus; dies me potius quam oratio defficeret, ſi omnia Sanctij Çapata, Ioannis Ludouici Moreno, Michaelis Lopez, Martini Remon animi & corporis ornamenta, vt complector cogitãdo, ita numerando recenſere contenderem. Quippe Themiſtoclis prudentiam, ſolertiam, & celeres illos animi motus; Ariſtidis iuſtitiam, & moderationẽ; Simonis liberalitatem, & munificentiam, Traſybuli fidem, magnanimitatẽ, atq; conſtantiã; Ageſilai religionem, & modeſtiam; Phocionis bonitatem, & in ſententia perſeuerantiam adeò refferunt, vt nõ homines ex homine nati, ſed ad moderandas huius miſerrimi temporis ſeditiones, è Cœlo delapſi eſſe videantur. Ampliores, Octouiri ampliſsimi, poſſem hoc loco laudũ veſtrarum cãpos aperire, per quos libentiſsimè excurrerẽ, niſi me retardaret ea de vobis omnium concepta opinio, quæ me tacente prædicat, notiora eſſe veſtra ornamenta, quam vt à me dici, & ab aliquo debeant ignorari. Quænam enim eſt in Aragonia adeò agreſtis hominum cõmunitas? quænam in ea adeò abhorrens ab huius noſtræ comertio ciuitas? quis populus tam rudis atq; in-

§ 5 *cultus*

cultus omni ciuili prudentia, quem non admirabilis veſtri rerum maximarum vſus, conſilij, integritatis, conſtantiæ, prudentiæ, veritatis, ſapientiæ deniq; veſtræ ſplendor illuxerit? fama peruaſſerit? gloriaq; compleuerit? Vnde non mirũ eſt, ſi omnes qui vos norũt; quiq; ſingulares veſtras virtutes, veluti laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, iudicium in conſulendo experti ſunt; huic ciuitati vniuerſoq; Regno gratulentur, quòd eo anno, quo ingens periculum imminebat, præcipitante Repub. hi ſorte Diputati contigerint, qui & conſilio, & ſapientia prouiderent, qui nunquam Regno periculis laboranti deeſſent, qui pro magnitudine dignitatis, pro acerrimi fama iudicij, pro peculiari in rebus adminiſtrandis, gerendiſq; prudentia, laudari non poſsint. Sed quorſum iſta dicetis? Attendite ſodes, & facile quiſq; veſtrum percipiet, quò mea tendat oratio. Cum mẽſibus ſuperioribus Hieronymus Blancas Regni Hiſtoricus, & acerrimi vir iudicij fuerit nobis immatura morte præuentus; orta eſt fama, non vt opinior vulgaris, veſtri eſſe officij, id munus honorificum & difficile alicui demandare; qui & ei pro dignitate reſponderet, & laudabilem.

lem rerum noſtrarũ hiſtoriam in omnẽ poſterita tẽ propagaret: quod cùm mihi nuntiaretur, non me extra rem facturũ, aut futurum vobis ingratum iudicaui, ſi quæ ipſa de partibus officioq́; hi- rici, ac de recta hiſtoriæ conſcribendæ ratione ſentirẽ; qua poſſem breuitate præberẽ; quod cũ ſub veſtris nominibus in publicum appareret, omnibus deinceps non modo hiſtorici deligendi, verum hiſtoriæ componendæ dilucida quædã inſtitutio conſtaret. Offero itaq; vobis opus, ſi non perfectum ingenio, comptumq; iudicio, breui tamen tempore laboratũ, & qua potui diligentia cultum. Hoc autem quidquid eſt, vobis dicandum conſtitui; vt nominis veſtri auctoritate Zoilorum quorundã (quos huic operi non defuturos veremur) latratus comprimantur. Tulit enim hoc tempore, magis quam alio, hominum improborum natura, vt viros florentes ingeniis, rudes et imperiti inuidia proſequantur; quorum cogitationes, & ſenſus in detrectationem famæ alienæ, dignitatiſq́; oppreſsionem conuertuntur. Quod non eſt tam recens malum, quàm multi huius temporis homines putauerunt; nam ætate Socratis certabant in Theatro hiſtriones, mimi, cantores, & Sophiſtæ, recitabant quoq́; Poetæ, quorum artes cum

populus

populus ignoraret, tamen aliis applaudebat, alios verò celeriter explodebat. Si vos verò horum librorum deffenſionem, tutelamq́ ſuſcipiatis, imperitorum iudicia, inuidorum detractiones, maledicentium ineptias minimè pertimeſcā; cum ea ſit nominis veſtri maieſtas, quæ facile poterit quemcumq́ zoilorum furorem, ac rabiē cohercere. Omnia verò melioris declarationis cauſſa in duos libros diſtribui, in quorum primo de verborum Electione, & Collocatione diſſerui; in ſecundo de Electione, & Collocatione rerum diſputaui; quos ſi vobis probari cenſero, non modo mihi videbor ſatis cumulatè laboris præmiū conſecutus, ſed dabo operam, vt maiora ad vos deinceps ingenij monumenta defferamus. Valete Cæſarauguſtæ Idib. Mart. Anno à generis humani ſalute. CIↃ IↃ LXXXXI.

IOANNES COSTA STVdioſo Lectori.

S.

SOLENT, optime lector, præſtantes quiq; Coſmographi intra breuem tabulam orbis deſcriptionem offerre, in qua videant exteras regiones adituri, quas ſyrtes, quos receſſus, & amfractus; quæ littora, fluuios, inſulas; quos portus, ſinus, promontoria; quæ deniq; locorum interualla in ipſo peragrationis progreſſu debeant intueri. Pari ego ratione omnia hiſtoriæ conſcribendæ præcepta ad duos libros tamquam ad deſcriptionis tabulam Laconica breuitate reduxi; quæ ſtudioſis aditum parent, viamq; oſtẽdant, qua poſsint deinceps per latiſsimos hiſtoriarum campos ſuauiter ſpaciari. Quemadmodum vero diſerti, prouidiq; Pictores, imaginem pulcherrimam expreſſuri, primùm carbone lineas ducunt, deinde rude corpus atq; incultum viuis additis coloribus, ac penycilo adumbrant, eformant, atq; perficiũt: Sic ego hactenus primas duxi præceptorum lineas, id eſt intra menſem (aut paulo plus eò, minuſuè) quæ infinitis prope auctorum locis ad hiſtoriæ inſtitutionem obſcure diſperſa erant, ad duorum librorum Epytomem dilucide reuocaui. Iam verò cùm operis integritas viuos ſibi adhuc addi colores poſtularet, maioremq; verborum ornatum, & ſententiarum maieſtatem expoſceret; temporis breuitate coacti omnem ornandi augendi, perficiendiq; curam in aliud tempus diſtulimus; quo Deo duce, poſteriores cogitationes addemus, quæ cum ſemper, vt inquit Cicero, prioribus prudentiores exiſtant, ea dignitate, quod deſideratur abſoluent, vt nihil poſſe præterea hoc in opere exigi, nihil deſiderari amplius videatur. In his autem rebus tradendis, quarum natura nudam præceptorum figuram poſtulabat, ne legis, quam tulit Oratius, immemores uideremur, illud eius conſilium libenter ſecuti ſumus.

Philip. 12. in M. Ant.

Quic-

In art. Poet. ¶ *Quicquid præcipies eſto breuis, vt cito dicta,*
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.

Rerum delectum & collocationem hiſtoricorum tantum imitatione contineri præcepimus, quod nulla ſit rerum electio proprior, aut aptior diſpoſitio, quàm ea, quam ſelectæ hiſtoriarum narrationes peculiari arte pepererunt. Verborumverò inuentionem, & copiam Ciceronis & Terentij potiſsimum exemplis illuſtrauimus; quod verborum electio tota conſtet æloquentiæ præceptis, & eorum auctorum imitatione contineatur, qui Florente Romæ eloquentia, linguæ & ſermonis elegantia præ cæteris viguerunt; inter quos Cicero & Terentius primum locum ſibi vendicarunt; ab his ergo puram & nitidam copiam, magis quam ab hiſtoricis (qui per hos plurimum profecerunt) repetendam fore conſtitui. De Conſcribenda rerum hiſtoria Græci veteres, & Latini (à quibus tamquam fideliſsimis rerum interpretibus plurima expectare poteramus) nihil ex profeſſo (quod ſciam) litteris mandauerunt. Neq; ſane recentiorum (quos hactenus viderim) quiſquam, præter vnum Foxium, qui pauca quædam de hiſtoriæ inſtitutione quodam dialogo ædidit; eumq; ad me miſsit magnus ille iuris vtriuſq; Doctor Didacus Morlanes ex magnifica illa ſua Bibliotheca; in cuius quamcumq; partem oculos conuertas, innumeræ quouis loco ſuperſcriptiones occurrent, quibus infinita propè auctorum nomina, artiumq; materiæ diſtinguntur tamquam lemmatis Nartheſiorum apud Pharmacopolas, quibus illi admonentur, quid in quoq; nartheſio deliteſcat: ita vt non vnam Bibliothecam, ſed Noæ arcam, aut multas ſimul Bibliopolarum officinas proſpexiſſe videaris. Accipe iam igitur, ſtudioſe Lector, duobus his libris, quid nos de conſcribendis hiſtoriis ſentiamus, qui ſi tibi aliquid vtilitatis attulerint, dici non poteſt, quanta voluptate perfruemur, vt qui non gloriæ ſtudio ad ſcribendum acceſsimus, ſed quadam, aliquando in lucem proditura, ratione perſuaſsi, quæ nos vehementer compulit, vt tanta celeritate hos noſtros de hac re labores promeremus.

XII

10-9-C-3

DE CONSCRIBENDA RErum Hiſtoria Liber primus, in quo agitur de Eleccione, & Collocatione verborum.

AVCTORE IOANNE COSTA ciue Cæſarauguſtano ac legum Doctore.

GLORIA eſt virtutis ſplendor, quæ nos mirifica cum Deo immortali affinitate coniungit; quæ vitæ breuitatem poſteritatis memoria conſolatur; quæ efficit, vt abſentes adſimus, venientes optemur, mortuiq. viuamus memoria hominum ſempiterna. Tanti vero theſauri comes & cuſtos ſemper fuit hiſtoria, quæ res præclare geſtas ab interitu vindicatas ad laudis æternitatem diuturnæ poſteritati conſecrauit. Nam cum omnia, quæ hac vniuerſitate continentur, vel vi extingui, vel vetuſtate aboleri facile poſſint; vna tantum hiſtoria, per vniuerſum terrarum orbem diſsipata, perpetuam ſui cuſtodem eſt æternitatē conſecuta. Nouerat hoc Alexander, qui cum ad Achillis tumulum aſtitiſſet, fælicem verq. beatum Achillem nominauit, quòd ſuarum lau-

Hiſtoriæ dignitas ab effectis.

Lib. 2. de

dum præconem Homerum inueniſſet. Hinc Cicero hiſtoriam diffiniuit temporum teſtem, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis; qui & dixit mea ſententia prudenter, & expreſsit eius naturam aptiſsime: facile enim vnus homo, ſi eſtudioſe vetera monumenta euoluat, animo concipiet, quid multis ſæculis euenerit, & inde animaduertet, qua ſibi ſit inſiſtendum via, vt vita humana (quæ omnibus fortunæ, hominumq. inſidiis expoſita eſt) poſsit in poſterũ conſilio prouidere; atq. ſuas actiones inter tot errores ac pericula ad veritatem, & ſalutem dirigere: cum non ſit aliud humana prudentia, quàm euentorum obſeruatio, rerumq; præſentium ac futurarum ex præteritis tamquam ex fonte ſcientia deriuata. Quod quidem eueniet ei fæliciter, qui ita hiſtoriam tractet, vt euenta cum notet, ad cauſſas refferat animum, & in eis defixus intueatur, cur hoc factum, illud omiſſum, cur ex illo calamitates, ex hoc cõtra fælicitates, ac optata contigerint. Etenim tamquam in depicta tabula offert hiſtoria fortunæ viciſsitudines, inconſtantes rerum euentus, aduerſa excellentium ducum, fortiumq. virorũ ſtratagemata, artes, inſidias, ſpem potiundi, metum

Quid ſit prudentia.

Quid notandum in hiſtoriis legẽ

tum

tum amittendi, caſos exercitus, vrbes captas, imperia deleta, fortunas commutatas, cadere inſultantem, victum exurgere, eodemq. pene momento lætitiam merore, merorem contra lætitia penitus aboleri; & quos ſæpe ſpoliãtes atq. exultantes vidimus, eoſdem repente vno fortunæ prælio euerſos intuemur. Hæc dum legimus, dici non poteſt, quanta animus noſter iucunditate moueatur, cum eo paſcatur alimento, quo ſatiari non poteſt, quòuſq. ad optatum exitum finemq. peruenerit. Dum Cyri Perſarum Regis, qui Orientem ſubegit; Pyrrhi Epyrotæ, qui arte primus acies inſtruxit; Alexãdri Macedonis, qui intra annos duodecim Orbis pene imperio potitus eſt; Annibalis Carthaginenſis, quẽ in Italia exultãtem Romana mænia timuerunt: & inter Græcos Themiſtoclis, Ageſylai, Epaminũdæ facta memorãtur, quanta animus noſter admiratione ſuſpẽditur, quanta voluptate perfunditur? Iam vero hoc etiam commodi adfert hiſtoria, vt non ſolũ aduerſis aliorum caſibus edocti, omnibus fortunæ procellis liberemur, ſed vt in eius monumẽtis animi, & corporis actionum honeſtarum imagines ſpectemus, vt ex illis nobis oriatur illa omnium pulcherrima ſcientia, vt cognita malorum ori- Fructus & vtilitas hiſtoriæ.

gine, nihil cupiamus, nihil amemus, niſi quod ratio perſcribat, omniaq. noſtra conſilia veterum exemplorum regula metiamur. Cum aliud non ſit hiſtoria, quàm virtutum vitiorumq. (quod argumentum moralis Philoſophia complectitur) euidens ac dilucida demonſtratio. Neq. ſane opinor vehementius Plato Socratica oratione, ad fortitudinem, conſtantiam, liberalitatem, continentiam excitauit, quàm exemplis Scipionum fabij, Marcelli, & Camilli Romanæ hiſtoriæ commouerunt; cum Philoſophia quid agere homines debeant, hiſtoria quid cum laude egerint, repreſentet. Quod cum ita ſit, mirari ſoleo, quid ſit in cauſſa, quòd cum paſsim pleriq. Oratorum & Poetarũ libri eruditorum hominũ annotationibus decorentur, manuſcriptis exemplaribus in natiuum candorem reſtituantur, nouis indies Commentariis locupletentur: ex tanto hiſtoricorum numero, vix vnum aut alterum videamus, hiſce Scholiis, & obſeruationibus illuſtrari. Quaſi præſtantius ſit, falerata verborum lenocinia, quibus in cauſſa Cluentiana gloriatur Cicero iudicibus tenebras obieciſſe, & inanes ac fictas poetarum fabulas celebrare, quàm pulcherrimam earum rerum hiſtoriam, quæ hac vniuer-

ſitate ab orbe condito geſta ſunt, iuuare ſtudio, ingenioq. excolere atq. augere. Ac magis mirari ſoleo, quorundam recentiorum pene dicam inſaniã, qui neglecta hioſtria nouas quotidie Dialecticas, Poeticas artes, & Rhetoricas magno ſupercilio venditant, quas cum ex ſexcentis veterum ſcriptorum Codicibus in nouum opus transſferant, ſup poſito nomine ea ſibi aſcribunt, quæ iam veteres multis antea ſæculis tradiderunt. De Conſcribenda vero Hiſtoria, de partibus officioq. Hiſtorici (quo nullũ eſt grauius argumentum) & de quo pauca veteres ſcripta reliquerunt, vix (quod intelligã) iſtorũ aliquis diſputauit. Quod ita à me dictum nemo exiſtimet, vt inter humanitatis ſtudia hiſtoriã ſolum colendam, Poetarum & Oratorum artes (quas laude etiam dignas exiſtimo) contemnendas eſſe contendam. Poetæ enim ſuis fabulis (quantumuis eas olim execraretur Erathoſtenes, qui Homerum Poetarum principem ineptæ loquacitatis magiſtrũ nominauit) non leuia quædam & frugis expertia otioſorum hominũ ſomnia complectuntur, ſed illis veluti tegumentis, & inuolucris omnis doctrina elegans, omnia virtutũ officia, omnis deniq. ſapientia cõtinetur. Nouerãt hoc antiqui illi eximijq. Philoſophi Plato, &

Erathoſtenes Poetas deteſtabatur.

Poetarũ Enchomium.

 Ariſtote-

Ariſtoteles, qui cum grauiſsimas quaſq; quæſtiones, ſiue de his quæ à natura proficiſcuntur, ſiue de his quæ ab hominibus aguntur, ſiue de his quæ conſilia, cauſſas, atq; euentus omnium ciuilium actionum concernunt, cernerent Poetarum carminibus contineri, ſæpe repetitis ex eis teſtimoniis, nõ modo eorũ decreta confirmarunt, ſed ita ſtudioſſé legerunt, vt nunquã ſibi è manibus excidiſſe viderẽtur. Cæterũ obiiciet forte aliquis, quî fieri poteſt, tantopere Platonẽ Poetas probaſſe, cũ eos è Republica tamquam peſtem infectũrã eieciſſet? quod molles, éfeminatos, leues hominum animos redderẽt, quod prauos affectus omnino generarent, quod improbis colloquiis, peßimis fabulis, impudicis verſibu, squaſi nocẽte veneno bonos mores peruerterent. Nã vt Ariſtoteles ſentit, anima hominis eſt tanquã Papyrus & tabula quadã raſa, inquibus nihil ſcriptũ, nihil vè depictũ eſt, ſcribi tamen, depingiq; bona uel mala poſſunt, cũ ad vtrumq; ſemen veluti ager vim quandã producẽdi exerat: quod quidẽ argumentũ ab Ariſtotele, vt ſuſpicor, mutatũ Maximus Tirius pulcherrime dilatauit. Hoc cũ veteribus Philoſophis cõſtitiſſet, alij ſe ab animalibus vt Pythagorici, alij à voluptatibus atq; delitiis, vt Stoici, alij à vino ciborumq;

Lib. 10. de Rep.

Lib. 1. Magn. Moral. cap. 4.

Anima hominis eſt tabula raſa.

Sermo. 40.

ciborumq́ opulentia vt Academici; alij deniq́ à diuitiis, aliiſq́ fortunæ bonis, vt Anaxagoras, Diogenes & alij continuerunt, vt his tẽperantiæ modis vitiorũ ſordes expellerent, & animas (vt dicebant illi) purgarent; ſublatiſq́ hoc modo vitiorũ ſeminibus eorũ in animis ſedes virtutes altis defixæ racibus deinde cõplerẽt, vt latè Iamblicus, Porphirius, Plocus; Plato & Plutarchus tradiderũt. Ego vero neq́ omnes Poteas laudãdos, neq́ explodendos omnes exiſtimo, ſed iudiciũ ad electione adhibẽdũ eſſe cẽſeo, artemq́ Poeticã enſi & gladio ſimilẽ eſſe coniector, quibus & vti, & abuti, vt libuerit, homines poſſunt. Si qui ergo Poetæ arte ita vtãtur, vt præſtanti inſtitutione ad virtutẽ animos excitent, & extruẽdis verſibus ita incũbant, vt cũ ingenia acuant, exerceãt, excolãt; nulla in eis ad libidinẽ veſtigia deliteſcant; hos non modo ipſe admittẽdos, ſed omni laude, & ſi quod forte eſt, altiori virtutis præmio, digniſsimos prædicarẽ. Eos vero cũ Platone, & aliis recte ſentiẽtibus omnino deteſtor, qui vel Tragicè, vel Comicè fœdos & impios mores repreſentãt, & turpi ſermone quaſi Ticiniæ venenis, Circeis Poculis, Syrenũ præſtigiis iuuẽtutẽ inebriãt. Etenim qui rẽ paulo altiùs expẽdat, negare nõ poterit, ipſa Tragediarũ

Iambli. in lib. de Egyp. miſteriis
Prophi. in lib. de Abſtin. animal.
Porclus in lib. de anima & Demone.
Plato in Hippia maio.
Plutarc. in vita Alexan.

Tragicorum, & Comicorum argumēta eſſe Reipub. perniciosa.

argumenta partim eſſe atrocia, impia, ſcelerata; partim flagitioſa, & inceſta; partim incredibilia, & abſurda; veluti filios à matribus trucidatos; matres à liberis interfectas; viros ab vxoribus adulterij cauſſa occiſſos; indomitas & effrenatas mulierū libidines; filiorū cū matribus cōcubitus; nouercas priuignorū amore flagrantes: fratres mutuis vulneribus animā vna cū ſanguine profundētes: patres religionis filias immolantes; fortiſsimos viros accepta iniuria dolere ad inſaniam redactos, & id genus alia, quæ in Tragediis cuiq; paſsim occurrunt. Quid Comici? nonne hi quoq;, ſi ſummo cum eis iure agatur, è Bibliotecis veluti ſuis conuulſi ſedibus penitus exigentur? Omnia ſane Comica argumēta, ex ſenibus auaris, deliris, ſtultis; ex adoleſcentibus intemperatis, profuſis, ſcortatoribus, perditis; ex virginibus aut vi, aut pretio corruptis; ex meretricibus doloſis & rapacibus; ex ſeruis perfidis, & fallacibus; ex lenonibus impiis ac periuris; ex paraſitis edacibus, ac tandem ex glorioſis militibus cōſtat. Iam Epyci, qui omnium vetuſtiſsimi, & laudatiſsimi Poetarū extiterunt, quàm multa vbiq; obſcena, fœda, turpia, inaudita cecinerunt; veluti Iouem deorum, atq; hominum Regem ſexcentis adulteriis, ac ſtru-

In Poetis Epycis deorū ſuperſtitio condēnatur.

pis

pis fuiſſe nobilitatum; raptum ab eodem propter formam Ganymedem, Martem à Vulcano in adulterio deprehenſum, Mercurium Martis cum Venere complexibus inuidentem; excruciatam Iunonem nimio dolore ex Iouis incontinentia ſuſcepto: Venerem in prælio à Diomede ſauciatam; Thetim & Auroram Iouem pro filiis deprecantes, ne in acie concidant, & huius generis alia, quæ ex gentilica illa deorum ſuperſtitione fluxerunt. Quod adeo verum eſt, vt Homero Epycorum Principi non modo eas deorum inſanias objecerint ſanæ mentis quã plurimi; ſed etiã Vlyßis nomine non viri fortis, non prudentis, nõ ſapientis; ſed malitioſi, ſed fallacis, ſed mendacis exemplar poſuiſſe; Achillem Apollini minari, cũ Xanto flumine decertare; Aſyæ & Græciæ Heroes frequenter leui de cauſa obiurgare, conuiciari, maledicere, lamentari, ira incendi, libidine imflammari, atq; ægritudine contabeſcere. Vnde Plato, (à quo dicta ſunt omnia acutè, excogitata præclarè, verè atq; ſubtiliter annotata) à bene moràta probiſq; legibus conſtituta ciuitate eam Poëſis partem exploßit, quæ cum eſſe deberet bonæ indolis imitatrix, improbis affectibus ac moribus Rempublicam contaminaret; reliquas vero

Quid vituperetur in Homero.

partes (quæ iucundo concentu grauibuſq; ſententiis vitã hominis informarẽt; & cũ diuinis, tùm humanis ab ipſa vetuſtate repetitis exẽplis ad humanitatẽ reducerent) nõ modo admiſsit, probauit, recepit; ſed perpetua quadã earum imitatione comendauit. Plutarchus etiã Philoſophiæ moralis parens & Princeps peculiarem librũ adidit, quem de Audiendis Poëmatibus inſcripſit; in quo Poëticã artem tamquã Reipublicæ vtilẽ vehemẽter extollit. Hinc apud Græcos tanto in prætio habita fuit, vt tamquã ingenua ac liberalis illuſtri tantũ natis familia adoleſcentibus traderetur. Et à Dione Chriſoſtomo, non modo Platonẽ & Ariſtotelem, ſed Pytagoram, Zenonem & alios veteres Philoſophos bonã ſuæ Philoſophiæ partẽ ab Homero hauſiſſe, proditũ eſt. Vnde Maximus Tirius: quid eſt (inquit) aliud poetica quã Philoſophia tẽpore vetuſta, conſonãtia metrica, argumẽto fabuloſa, mutuo enim cõmeant eſſe philoſophũ & eſſe Poetã. Strabo verò Capadocius antiquos ait Poetas primã quandã Philoſophiã inueniſſe, quæ nos ab ineunte ætate ad viuendi rationes adduceret, quæ mores, quæ affectiones doceret, quæ res gerendas cũ iucunditate præciperet. Quare malos Poetas exprobremus, optimos eſſe ramus

In Oratio. Græca de laudibus Homeri

Sermo. 29.

Poeta & Philoſophus idẽ

Lib. 1. Geogra.

ramus, qui cũ Poetæ ſimul & Philoſophi fuerint, ante cõſtitutas ciuitates, primos homines rudes, impolitos, feros erudierũt, & à feritate ad humanitatẽ, victũ, cultumq́; traduxerũt; virtutis pulchritudinẽ meliùs quàm plerique minuti philoſophi deſcripſerunt; nos eius amore inflãmarũt atq́; nõ vt Hiſtorici ex veris rerũ geſtarũ narrationibus, ſingularumq́; perſonarũ dictis, factis, euentis, ſed Philoſophorũ more rebus veriſimilibus excogitatis, perſonis fictis, caſibus ſubiũctis cuiq́; perſonæ cõſentaneis, nos & præceptis vtiliſsimis inſtruxerũt, & moribus optimis imbuerunt. Nam cũ Poetarũ non ſit vnum genus, ſed alij ſint Epyci alij Lyrici, alij Tragici, alij Comici, alij Dithirambi, alij Iambici, alij Elegici, alij Epygrãmatum ſcriptores, & ſi qui ſunt alij: alij tamẽ aliis ſunt puriores, honeſtiores, nitidiores, & ad vitæ indolẽ vtiliores: & ſuo quiſq; gradu non adeo peßimus, vt nõ, ſiue ad perficiendũ augendumq; ſermonẽ, ſiue ad bonos mores rectamq; inſtitutionẽ, aliquid lucis & adiumenti attulerit; vt reliquos omittã, qui nihil niſi caſtũ, ſincerũ, piũ, religioſum prodierũt. Verũ vt eo reuertatur, vnde oratio fluxerat: nõ equidẽ minus laudãdos duco Oratores, quàm Poëtas, vt qui elegãter exculta oratione cõſolantur

El oquẽtię dignitas oſtenditur ab effectis.

tur merentes, afflictos excitant, iacentes erigunt, lites componunt, iracundias cohercent, ſeditiones moderantur, admiratione ſuſpēdunt, delectatione detinent, & cū, quò velint, animos rapiant, in ipſa ſemper Senatus ac Populi luce verſantur. Siquidem non eis aſsentior, qui hoc tempore Rhetoricam inutilem eſſe dixerunt, quoniam in genere iudiciali, quod eius pars eſt potiſsima, iam non rationibus Rhetoricis, ſed ſolum legibus diſputetur; nam aut fateri coguntur, nō hodie minorē in cauſſis vſum Rhetoricam polliceri; aut ætate Ciceronis, quando publicè Oratores cauſſas agebant, nullas Romanos leges, aut à ſe ipſis inuentas, aut à græcis tranſlatas tabulis ſcriptas habuiſſe, quod ſi vtroq. modo, florente Roma eloquentia habuerūt (vt Annales teſtantur) cur tā audenter affirmant, hoc tempore non licere, quod veteri Romanorū ſæculo licuiſſe videmus? At vero (vt iam ad hiſtoriam redeamus) ſi res acriori iudicio perpēdatur, tam Poeta fabulis, quàm Orator numeroſis habenis, non artē modo, ſed veritatem hiſtoriæ emulantur: Quippe pars ea, in qua Epyci Poetæ verſantur, quid eſt aliud, quàm pulcher quidā cōtextus hiſtoriæ; proponit enim Poeta eo modo, quo hiſtoricus, eodē modo narrat, mores ac perturba-

Poetę hiſtoricos imitantur.

tiones excitat, prælia cladeſq. repreſentat; neq. alio quàm hiſtoricorum more Homerus, Virgilius, Lucanus, Stacius multorũ regum res geſtas, ducum fortiſsimorũ ſingularia facta heroico carmine decantarunt: pleraq. etiam alia argumenta tractarunt, quæ ab illuſtri aliqua hiſtoriæ actione eis proueniſſe, is tantum negabit, qui in rerum omnium ignoratione verſetur. Iam Lyrici (quorum Princeps inter Græcos Pindarus fuit, inter Latinos Oratius) quando iuſtitiam, fidem, continentiam, religionem, pietatem, paupertatis tollerantiam, rerum humanarum contemptum comendant; & Satyrici iniuſticiam, perfidiam, libidinem, iracundiam exprobrant; ſiue quando tam Lyrici quam Satyrici ad ſubeunda pro patria pericula, & mortem pro eius libertate oppetendam excitant, ſiue quando bellorum ciuilium calamitates deplorant, ſiue quando, Republica præcipitante, ciues hortantur, ne repentina concitatæ multitudinis oppreſione ab officio declinent; nonne exemplorum copia ab hiſtoricis deriuata totam orationem exornant? Tragici vero Comiciq. Poetæ, vnde fabulas ſuas confinxerunt? vnde inſperata gaudia, dubios exitus, ſpes fallentes, inopinatos merores, rerum ſubi-

tas

tas mutationes eruerunt, niſi ex variis excellentium virorum caſibus, quos illis hiſtoriæ memorarunt? egreſsiones vero quomodo expleuiſſent, niſi vel ſuas, vel ſimillimas actiones ex ipſa vetuſtate deriuaſſent. Oratoriã quoq. laudem, ſine rerum antiquarum cognitione conſtare non poſſe, magni olim dicendi artifices oſtenderunt, qui turpe eſſe duxerunt, prius ad agendas cauſſas prodire, quàm, non modo ciuitatis in qua vixiſſent, ſed vniuerſi orbis terrarum, ritus, mores, iura, ac inſtituta tenerent. Et cum ſæpe cauſſæ natura poſtulet, vt quod perſuadere debeãt Oratores, ex eo, quod aliquãdo euenerit, probandũ ſit; cumq. imperita multitudo magis exẽplis (quæ facillima ſunt argumenta) quàm rationibus moueatur, oportebit Oratores eos vetuſtatis fontes animo cõtinere, qui ad probandũ vberem exemplorũ copiã ſuppeditẽt. Si quod igitur humaniorũ litterarũ ſtudiũ eſt, quod cũ hiſtoria aut naturæ ſimilitudine cohæreat, aut pari dignitate præſtet, certe aut nullũ eſt, aut glorioſa illa morũ Philoſophia eſt: nã quas ipſa virtutes vniuerſas, & abſtractas præceptis illuſtrat; hæc ſingulares, & cõcretas, vt animis inſunt, pulcherrime cõprehẽdit. At vero fortitudo grauius laudari, tẽperãtia celebrari, iu-

ſtitia

Otores hiſtoriarum notitia indigere.

Hiſtoriæ & Philoſophiæ morum affinitas.

ſtitia extolli; atq. his cōtraria deprimi, vehementius à Philoſopho, quàm ab hiſtorico poſſunt? Clemētiam illi, ac liberalitatē præcipiunt in animis eminere; non tamen eorum præceptis animus acquieſceret, niſi quoſdā olim fuiſſe Cæſares, & Alexandros, qui his virtutibus excellerent, hiſtoriæ prædixiſſent. Sic Hiſtorici ad iuſtitiam propoſitis Ariſtidis, Socratis, Catonis, Simonis, Zaleuci, Charondæ exemplis exhortantur: ad fortitudinē Epaminundæ, Themiſtoclis, Pompei, Aureliani, Probi, Beliſarij imitatione propoſita: ad moderationē Camili, Diogenis, Marci Curij; ad prudentiā Bruti, Scipionis, Licurgi, Solonis: ad fugā deniq. voluptatis, atq. aliorū vitiorū propoſitis vitæ ſordibus & turpitudine Comodi, Caligulæ, Neronis, Heliogabali, Dioniſij, Sardanapali, & ſimiliū. Nullā deniq. virtutis rationē honeſtā poterimus ſequi, aut prauā effugere, in qua non videamus manifeſta hominū exempla, quibus nō modo qua nobis ratione viuendū ſit, teneamus; ſed etiā ſingula futuræ vitæ quaſi momēta in expreſſa hiſtoriæ imagine cognoſcamus. Verūenimuero demus nobis hiſtorias defuiſſe, aut quod ſcriptæ non eſſent, aut quod temporum vetuſtate conſenuiſſent (quod vt experientia docet rei veritati

repugnat

repugnat: ſed tamen ius veritati liberum relinquamus, & ſine aliqua eius læſione id ita concedamus) demptis è medio virtutum exemplis, perempta æternitatis memoria, vt iam hominum animi ſua ſponte feruntur ad libidinem, quis ſe iam pro virtute laboribus frangeret? quis curis angeretur? quis de nominis amplitudine dimicaret? Actum iam eſſet de nobis, neq. enim hominum genus, neq. ipſe mundus, neq. rerum mater natura poſſet diu conſtare, ac ſuum nomen nec vno quidem die cum laude retinere. Quæ Appellis, aut Protogenis; quæ Parrhaſij, aut Pāphili tabulæ, cum cæſaris Commentariis, Saluſtij hiſtoria, aut Emilij probi (vel vt volunt alij Cornelij Nepotis) illuſtrium hominum vitis poterunt comparari? quamuis Pictores tacentes Hiſtoricos, Hiſtoricos vero loquentes Pictores recte nominemus. Præterea Philoſophi res præclaras ad vſus vitæ quotidianos, animiq. tranquillitatem maxime neceſſarias præcipiunt, ſed vel non omnino faciles, vel nō omnino probabiles, & à ſenſibus & vulgi opinione longe remotas, magis deniq. ad cognitionem, mentisq. agitationem, quàm ad actionem accōmodatas. Hiſtorici vero præter eam ipſam vtilitatem, quam ſuis hiſtoriis non

Sine hiſtoriis mūdum conſtare non poſſe.

Pictores eſſe tacētes Hiſtoricos.

recon-

reconditam, ſed quibuſuis patentem liberaliter ſuppeditant; maxima nos hilaritate afficiunt, cũ iucunde hiſtoriam varietate præſtantem; ideſt tẽporum mutationes, varios fortunæ caſus, rerum viciſſitudines, clarorum virorum, aliorum optabiles, aliorum miſerabiles exitus, rerum publicarum commutationes, vrbium euerſiones, potentium regum fortunas, vel ſecundas, vel aduerſas, tam externorum, quàm domeſticorum bellorum calamitates, & alia huius generis plura, veluti in ſpeculo proſpicienda ante oculos repreſentant. Hinc recte Cicero dixit, neſcire quid antequam natus ſis acciderit, id eſt ſemper puerum eſſe, quid eſt enim ætas hominis, niſi cum memoria rerum veterum, & ſuperiorum ætate contexitur? Quapropter quid aliud hiſtorias eſſe dicemus, quàm ſimulacra eius Philoſophiæ, quæ in actione conſiſtit? cum ſiue virtutum pulchritudinem ad imitãdum; ſiue vitiorum turpitudinem ad declinandum; ſiue prouintiarum ritus ad intelligendum; ſiue deniq; maiorum mores atq; res geſtas ad prouidendum quæramus, non à Philoſophis rectius, quàm ab ipſis hiſtoricorum monumentis repetamus. Atq; de hiſtoriæ dignitate hactemus, nunc de eius origine breuiter iam agemus, mox quotu- De Orato. ad Brut.

B plex

plex ſit hiſtoria, ad extremum quid ea ſit exponemus. Poſt conſtitutas ciuitates ante inuentas literas fuit in hominum animis, vnà cum reliquarum virtutum ſeminibus, innata ſciendi cupiditas, quæ patrum ſuorum memoria, ſuperiorumq́ temporũ antiquitate maiores ſui admiratione digna geſiſſent, illiuè omnes, de quibus honorificam aliquam opinionem conceperunt. Unde ſicut imagines & ſtatuas, aliaq́ huiuſmodi inuenerunt, quibus excellentium virorum memoriam ab interitu & obliuione liberarent; ſic hiſtoriam rerum geſtarum, (niſi eis literarum inuentio defuiſſet) poſteritati ſcriptam reliquiſſent. Cum vero literæ, hiſtoriaq́ deeſſent, crebris inter ſe ſermonibus ea quotidie memorabant, quæ vel ipſi viderunt optime geſta, vel, à ſuperioribus magna cum nominis laude & gloria celebrari audierunt. Ita ſanè fiebat, vt rebus frequentèr auditis, audientium memoriis inhærerent, & mutuis parentum colloquiis primùm ad filios; deinde ex filiis ad poſteros peruenirent. Ægyptij vero primi fuerunt, qui inuentis literis Hieroglyphicis non vulgaria aliquot antiquitatis veſtigia conſeruarunt, quæ Hæbrei poſtea, eo ſermone, quem ab Adamo deriuarunt,

per

per filios & nepotes poſteris mandauerunt: ac lō ga poſt tempora multorum ore repetita, Moyſem primum rudi quodã ſermone atq; inculto ſcripta reliquiſſe, memoriæ proditũ eſt. Græci deinde ſub ſecuti ſunt, qui multa antiquitatis monumenta, per ſuperiorum ora diuerſis temporibus emanata, magno in pretio habuerunt, quæ vti dignitate præſtabant, ita filiis referebant, vt ea memoriæ cõmendarent, & eorum expertibus ſumma cũ voluptate ſæpenumero recitarent: qualia quidem fuerunt pleraq; Muſei carmina, qui poſt Orpheum primus clarorũ virorũ præclarè res geſtas hiſtoricorum more, heroico verò carmine cecinit; Homerum autem, quem ætate anteceſſerat, vt probat Ceſar Scaliger, elegantia & grauitate lōgè lateq; ſuperauit. Hoc etiã modo Homeri verſus memoria tenebãtur, quos ſæpe quotuſquiſq; ſiue ad voluptatẽ, ſiue ad doctrinã, ſiue ad inſtitutionẽ, memoria recitabat: prius quã Ariſtarchus diligẽs Homeri interpres eos omnes in duo librorũ volumina accuratè cõgeſiſſet. Sic præclara omnia ſcituq; digniſsima priſcis tẽporibus in quotidiano vulgi ſermone ferebãtur, quouſq; literarũ vſus eſſe cepit, quo nihil tribuere diuina prouidẽtia præſtãtius, nihil excogitare mens humana vti

Lib. 5. c. 2. de Arte Poet.

lius, nihil ex omni rerum pulchritudine duci potuit excellentius. Vnde Ioſephus ſenſit mea ſententia verè, qui Moyſſem inter Habreos primum hiſtoriæ inuentorem fuiſſe aſſeruit, cum is primus extiterit, qui litteris mandare ceperit, quæ per varia hominũ ora diſperſa ad eius vſq; tempora poſteritas deduxiſſet. Eodem modo inter Græcos cõmuni hiſtoricorum aſſenſu primi hiſtoriarum auctores memorantur Pherecides, Hellanicus, Acaſilaus: inter latinos vero Summi Romanorũ Pontifices, quibus tradita fuit prouintia ſcribendi, vti geſta erant, quæ ſingulis annis contigiſſent, more Egyptiorum, qui multo iam antea eandem prouintiam ſuis Sacerdotibus detulerunt, quos quidem adeò ſancte colebant, tantumq; tribuebant, vt ex eis Reges deligerent, quemadmodum de Menete primo omnium rege, ac Mercurio Triſmegiſto memoratur. Ea vero poteſtas ſcribendorũ Annaliũ non diu apud Pontifices permanſit (vt tradit Flauius Vopiſcus) paulò ſiquidẽ poſtea Pontificũ loco Cato, Fabius & Siſena ſucceſſerunt, qui nudũ ac aridium Pontificum genus orationis aliquantulum exornarunt. De ea vero Põtificum poteſtate, atq; de Annaliũ hiſtoria Cicero ſic loquitur, erat (inquit) hiſtoria ſcilicet Romanis

Moyſſes primus hiſtoris inuentor.

Qui primi inter Græcos & Latinos hiſtorias ſcripſerunt.

In Vita Taciti.

Lib. 2. de Orato.

manis nihil aliud, niſi Annalium confectio; cuius rei memoriaq́ retinendæ cauſſa ab initio rerũ Romanarum vſq́ ad P. Mutium Pontificẽ Maximum res omnes ſingulorum annorũ mandabat literis Pontifiex Maximus, efferebatq́ in album & proponebat tabulã domi, vt eſſet poteſtas populo cognoſcẽdi eos, qui etiã nunc Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine vllis ornamẽtis, monumenta temporũ, hominũ, locorũ, geſtarumq́ rerum reliquerunt. Cornelius autẽ Tacitus ſic de Annalibus ſenſit: ingentia (inquit) illi Annales bella, expugnationes vrbiũ, fuſos, captosq́ reges, aut ſi quando ad interna peruerterent, diſcordias Conſulũ aduerſus Tribunos, agrarias frumentariaſq́ leges, plebis & optimatũ certamina libero egreſſu memorabant. A quo non multum diſsidet Liuius in dicendo refferendoq́ ſuo de Annaliũ Romanorũ iudicio. Erant itaq́ Annales, cũ res geſtæ pluriũ annorũ obſeruato cuiuſq́ anni ordine narrabantur; cum vero rerum hiſtorias non per annos, ſed per dies ſingulos cõficiebãt hiſtorici, vt Aulus Gelius notat, Græci non Annales, ſed Ephemerides, latini Diariũ vocauerunt. Catonẽ Fabiũ, & Siſenam poſt aliquot tẽpora ſecuti fue-

Lib. 4.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Lib. 6.

Quid Annales & Diarium eſſent.

Lib. 5. c. 18.

 runt,

runt, Cæſar Saluſtius & Liuius, quos poſtea diuerſis temporibus omniũ ferè nationum hiſtorici plurimũ imitati, ſuarum gentium memoriam variis hiſtoriarum monumentis in omnẽ poſteritatẽ propagarunt. Cæterũ, vt ætas illa omniũ prima rudes & incultas hominum mentes ferebat, ita primi illi hiſtoriæ inuentores ſinè vllis ornamentis, vt cumq́; ſcilicet poterãt, animi ſenſa exprimebant, nudoſq́; quoſdã rerũ Indices totius eloquentiæ expertes reliquerũt; quales Hæbreorũ, Egyptiorũ, Græcorũ, & Romanorũ antiquiſsima illa monumenta fuiſſe, ipſa eorũ vetuſtas explorauit. Deinde vero cũ inuentis artibus iã florere cæpiſſent hominũ ingenia, nihilq́; probare, niſi quod eſſet maiori cultu verborũ, & rerũ dignitate excellens, cæperunt etiã paulatim maiori mentis acumine præditi res grauiter geſtas paulò altius meditari, eaſq́; patriæ amore incenſi ſublimiori ſtudio pluribus quã antea ornamẽtis expolire, partibuſq́; ordine diſtributis narrationes diſtinguere, idq́; noua arte ſtudiũ tantopere auxerunt, vt nõ vulgarẽ perfectioris hiſtoriæ ideã ſucceſoribus obtulerint.

Qui primus inter Græcos hiſto

Eorum autẽ, qui maiori diligentia hiſtoriã perfecerunt primus inter Græcos fuit Herodotus Alicarnaſſeus, cui nõ longè elegãtia diſſimilis

ſimilis

ſimilis ſucceßit Thucydides;hos neq; longo tempo ris interuallo ſubſecuti ſunt Phiſtus, Theopompus, & Ephorus;ita artificio & rerũ varietate pares,vt quis eorũ præferri alteri debeat, adhuc lis ſub iudice maneat; non procul ab horũ tempore floruit omnibus numeris abſolutus Xenophõ, à cuius ore ita fluebat melle dulcior oratio,vt eo loquente omnes ab eius dictis pẽderent:huius ferè tẽpore Calliſthenes vixit,ſuauis ille quidẽ,nitidus, ornatus; ſed magis quã dici poßit infelix; vt quem immatura adhuc ætate Alexandri Magni ebrietas ad inſperatã mortem perduxerit. Quid commemorem eodẽ tempore duos illos Græcorum Soles Ariſtotelẽ,& Theophraſtrum? quorũ cæleſtem eloquentiam admirari, ingeniorum diuinitatem ſatis pro dignitate laudare nõ potero. Prætereo Plutarchũ,qui Græcorũ,& Latinorum vitas tanta arte deſcripſit,vt Vitarũ omnium ſcriptorum gloriã non modo ſuperarit, ſed penitus obſcurarit. Cæteros hiſtoriarũ auctores conſultò omitto,quòd cum his fuerint inferiores,longè minori laude floruerũt. Latini autem, vt numero quidẽ pauciores,ita græcis hebetiores fuerunt,neq; quos tãquã Corypheos cæteris anteponimus Liuius,Saluſtius,& Cæſar,adeo fuiſſet,

riam aliquo delectu ſcripſerint.

terſi, copioſi, iucūdi, graues, niſi mutatis à Græcis orationis diuitiis alieno lepôre ſuas hiſtorias venuſtaſſent. Suetonius, Tacitus, Curtius, Trogus Pompeius (cuius bonam hiſtoriæ partem temporum iniuria peremptam, ac iam pene obliuione deletam Iuſtinus breui Epytome nobis reſtituit) paulo minus exculti fuere, ſed non ideo contemnendi, cum hiſtoriæ artem ad eam perfectionem euexerint, vt nullus iam hominū labor, nulla obſeruatio, nulla quamtumuis aßidua diligentia & cura incrementum allatura videatur. Etenim inuentis iam artibus erraret, qui crederet, Græcorum, aut Latinorum quemquam ſcriptorē ad conficiendas hiſtorias ſolius eloquentiæ præceptis acceſiſſe; abſoluerant illi quidem priùs Homericā artium catenā, quæ à Græcis Encyclopedia dicta eſt, & omnes artes, quæ ad humanitatem pertinerent, quodam inter ſe vinculo cōnectebat: nō Dialecticam, non Philoſophiam, non Mathematicas, non legum peritiam ignorabant. Hinc coniectari licebit, quàm reprehēdendi ſint, qui paruulo Pygmei corpori Gygantis caput apponunt, hoc eſt, qui hiſtorici munus, nō quaſi onus graue (vt eſt certè grauiſsimū) ſed veluti præmium ſtipendij, honoriſuè cauſſa, imperitis demandant. Hi ſanè nō vident,

Quibus artib⁹ inſtituti eſſent, hiſtorici veteres antequā adſcribēdas hiſtorias accederent.

Officiū hiſtorici grauiſsimum.

dent, ſe præcio cōducere inutiles operarios, nō diſſertos hiſtoricos, tamquā morum Iudices, ſibi præficere, quorū calamū metuentes, non auſint ab officio declinare. Quippè, quale is feret iudiciū, qui iudicare neſciat? fallatur erretq́ paßim neceſſe eſt, niſi accuratißimè hominū noſcat ingenia, mores, ac vitam; eaq́ recto iudicio examinet; ita vt non modò Oratorem, & Dialecticū ſe præbeat, ſed Phiſicum etiam ac morum ſcientia eruditū; qui & hominum naturas cognoſcat, & mores ipſos ad normam virtutis rigide expendat. Mathematicarum autem ſciencia quàm ei ſit neceſſaria, quàm iuris diuini & humani noticia vtilis, locorum deſcriptiones, tempeſtatū, & portentorum notatio, legum, fœderum, inſtitutorumq́ expoſitio, (qua vtendum eſt ſæpe in medio narrationis curſu) aperte declarant: vt omittam interim, quod de rebus ab hoſtibus occupatis cōtendentes, plerumq́ hiſtorias tamquam Oracula cōſulant, indeq́ iuris ſui omnem rationē deducant. Iam ſi vera ſunt ſibi à falſis diſtinguenda, repugnantia vitanda, antecedentia, conſequentia, cauſſæq́ notandæ, in quibus paſsim altiori mentis indagine opus eſt, quid efficiet, qui bonarum artiū ignoratione præmatur? Aliarū præterea rerū peritum

Quæ requirantur ad ſcribendam hiſtoriam.

tum eſſe neceſſe eſt, vt antiquitatis, exemplorum, dictorum, factorum, rituumq; diuerſorũ, ita vt variarum gentium inſtituta intelligat, exteras regiones adeat, publicis negotiis bellicis, & vrbanis interſit, Principũ, priuatorum, militũ, ducũ, bellicarum, & ciuiliũ rerum rationẽ teneat; nec ſi poßit auditui tantùm credat, ſed ipſemet experiatur, videat, exploretq́; omnia, non quæ ſit ſcripturus modò, ſed etiam quæ ad vitæ cultum pertineant. Quod cum ita ſit, nihilhominus tamen non deſſunt aliqui, qui cum præter non benè digeſtam Grãmaticã, nullam aliam ſcienciã à limine ſalutarint, munus hiſtorici ſibi deberi gloriẽtur, illud ſtrepitu poſcant, nec aliquo modo ſibi denegari poſſe proclament. Sed quorſum horum conatus, aut potius cruciatus? niſi vt ſi ſors ſibi ex ſententia cadat, & adepto officio, illo fungantur, eis parturientibus naſcatur ridiculus mus; id eſt tales hiſtorias euomant, in quibus ſi rerum delectus & ſeries attendatur, Homericũ brachárum & muriũ bellum legere videamur; ſi ſermonis nitor, aut aliqua orationis lenitas ſpectetur, non minori duritie bonas aures offendãt, feriãt, excerebrent, quã Dauidis lapis Goliæ frontẽ percùßit. Ego ſanè non video, quî poßint huiuſ-

modi

modi hiſtorici tam arduum munus, Atlantis pōdere grauius, exiguis ſapientiæ & naturæ viribus ſuſtinere: niſi fortè intra duos aut quatuor menſes magnā illam Raymundi Lulij artem di dicerint, qua ſubitò poſſint de omnibus rebus ac ſcientiis ſubtiliter reſpōdere. Reffert enim Agrippa Lulij interpres, ea arte breuiſsimo tēpore quoſdam admodū imperitos ſapientiſsimos euaſiſſe, & quod eſt admirandum etiam impuberes de omnibus rebus grauitèr diſputaſſe. Inter quos memorat Petrū Daguinum, & Iacobū Tanuariū viros tota Italia celebratos, quorū prior, cū trigeſſimo ſeptimo ætatis anno, vix prima literarū elementa didiciſſet, ſex dum taxàt menſibus ei arti incumbens, adeò profecit, vt eius ingenium tamquàm miraculum Italia celebraret. Alter vero viginti & octo annis à literis abhorrens breui admodum tempore ea arte tantos literarum fructus percepit, vt multarū artiū opera laude digna reliquerit. Addit his, eximios eadem arte euaſiſſe Ferdinandū Cordubā Hiſpanum, Iacobū Fabium Stapulenſem, Angelū Politianū & Picū Mirandulanum, qui eadē arte de omnibus ſe poſſe diſputare gloriabātur. Verūtamē, vt obiter dicā, non ſanè crederē primum omniū Raymundum

Ars magna Raymundi Lulij Balearis. In Epiſto. Commen. in Lulium.

dum eam artem inueniſſe; memini enim legiſſe apud Platonem, Gorgiam Leontinum diſcipulum Empedoclis, Iſocratis præceptorem (qui iſtum Raimundum duomille ferè annorum ſpacio anteceſſerat) de re quam quiſq; audire vellet, ſibiq; ad dicendum proponeret, ex tempore ſubtiliter eloquenterq; dixiſſe: ideoq; ob inauditam ac ſingularem eruditonem, primam illi ſtatuam ex ſolido auro confectam Athenienſes in tẽplo Apollinis Delphico poſuiſſe, præter Platonem memorant etiã Valerius Maximus & Cicero: quamuis eius gloriæ inuidens Ariſtoteles, vt ei quantũ poſſet detraheret, quamplurimas Gorgiæ rationes ſophiſticas fuiſſe dixerit. Cicero tamen ſuo tẽpore plures notat idem, quod olim fecerat Gorgias, factitaſſe; quod & repetit alibi aſſerens Traſimachum, Prodichũ, & Prothagoram Abderitam de re etiã omni Athenis repentè grauitèrq; dixiſſe. Neq; longè abeſt quod narrat Philoſtratus Indorum Gymnoſophiſtas ſe ſolitos eſſe iactare, omnia noſſe, & de omnibus interrogatos reſpondere conſueuiſſe. Quod plane à Democriti opinione procul poſitum fuit, qui nec aliquid ab hominibus ſciri poſſe ſentiebat, nihil percipi, nihil cognoſci, & anguſtos eſſe ſenſus imbecilles animos bre-

In Dial. Gorgia.

Ante Raym. Luliũ iã alios artẽ magnam nouiſſe.

Valer. lib. 8. c. fi.

Cicero lib. 2. de fin. bon. in prin.

In fi. lib. 1. Elenc.

Lib. 3. de Orat.

In vita Apollo. lib. 3. c. 6.

mos, breue ſpacium vitæ, & in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus omnia inuolui, nihil teneri, omnia deniq; in denſiſſimis tenebris deliteſcere. Hinc ſæpe dicebat, Socrates, ſcio me nihil ſcire, quod exiſtimaret, omnia tenebris inuoluta in occulto latere, nec eſſe quod cerni ac intelligi poſſet: quod & Carneades & Pythagoras, & Arcecilaus, & Plato, & cætera veterũ philoſophorum turba ſenſerunt, qui ideo nihil certi reliquerunt, ſed (vt Cicero inquit) in vtramq; partem omnia diſputarunt. Sed de his hactemus. Iam hiſtoria eſt vera, dilucida, & ordine diſtincta narratio aliquarũ rerum præteritarum, vel præſentium ad earum notitiam hominum memoriis firmiter inhærendam. Narratio verò eſt rei geſtæ vtilis & neceſſaria ad vitæ inſtitutionem expoſitio. Cum vero hiſtoriam narrationem eſſe dicimus, non falſam, aut veriſimilem, aut ſimplicem intelligimus: falſa ſiquidem narratio poeſis aut fabula dicitur, quæ in carminibus & Tragediis ab omni veritate remotis poſita eſt: veriſimilis narratio eſt argumentum fictum & falſum, vero tamen ſimile, cuius imaginem quoad poteſt ſequitur & repreſentat, quod in Comediis conſtitutum eſt. Hinc Oratius.

Lib. 3. Acade. quæſt. in fi.

Hiſtoriæ definitio.

Narrationis hiſtoricæ definitio.

Poetarũ narratio qualis.

Picto-

In Arte Poeti.

¶ Pictoribus atq; Poetis.
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Lib. 1. de beneficiis. Lib. 1. Metha. cap. 2. Simplex narratio quæ ſit. Lib. 1. ad Heren. & 1. de inuent. Lib. 1. in Atticis. Apud Aulum Gel. lib. 5. cap. 8. Ariſt. lib. 2. de par.

Vnde Seneca optimè dixit; Poetas non putare ad rē pertinere verū dicere, ſed quidquid faciat ad carmen quocumq; modo proferre: & Ariſtoteles reſſert vetus fuiſſe prouerbiū, multa Poetas mētiri. Simplex autē narratio eſt, quādo aliquid breue narratur, quales ſunt oratorū narrationes, quæ in cauſsis iudiciisq; verſantur, ſingulariū hominū dicta, & facta, Apologi, & Apophtegmata, quæ breuiter exēplorū loco quotidianis colloquiis vſurpātur. Hiſtorica vero narratio & vera eſt, & rerū diſtinctione ſeruata, multorū dicta ac facta copioſa oratione continuat. Hinc Græcè hiſtoria, quaſi ſtudium cognoſcendi vera, luſtratioq; locorū dicta eſt: & Cicero; hiſtoria, (inquit) eſt res verè geſta, ſed ab ætatis noſtræ memoria remota, in quo differt à fabularū, & argumentorum fictione. Pauſanias etiā protulit, rerū priſcarum memoriam non eſſe ex choris vel Tragediis accipiendā, ſed ex hiſtoriarū monumentis repetēdam. Verrius vero Flaccus hiſtoriā definiuit narrationē rerū geſtarū, quibus is qui narrat interfuerit, cum qua diffinitione cōcordant aliæ, quas

eiſdem

eiſdem ferè verbis Ariſtoteles & Lucianus tradiderunt. Quaſi ſenſerint, ad hiſtoriæ fidẽ, tollendamq́ penitus ſuſpitionẽ non parũ pertinere, rebus gerẽdis interfuiſſe, qui res eo modo, quo geſtæ fuerint, refferre, & quaſi ad viuũ exprimere deberet, quòd rerũ veritas, quæ ſimplicitatis amica eſt, propriis oculis egeat. Sic traditũ eſt Cæſarem ſuos Cõmentarios ſcripſiſſe; Theophraſtrũ ſex illos de plantarũ hiſtoria libros, experta ſtirpiũ, herbarumq́ natura; & Ariſtotelẽ libros de partibus animaliũ; ad quem teſtatur Plinius Iunior, Alexandrum Magnũ miſiſſe octuaginta talenta hoc eſt CCCCLXXX. millia aureorũ, vt his ſumptibus venatores conduceret, animalia aleret, & ſingulorum naturas meliùs ſcrutaretur. Si vero, vt ſemper ferè accidit, qui hiſtoriã ſcribat, rebus gerendis intereſſe non poßit, curabit tamen (vt ſuadet Strabo) vt quæ ipſe nõ viderit, verè refferat, & loca, & tempora, quibus geſta ſint ſingula, apte diſtinguat. Nam vt auctor eſt Polibius: quemadmodũ corpora animaliũ, ſi ab eis oſſa exemeris, inutilia reddentur; ita hiſtoriæ narrationi ſi veritatem ademeris, quod in ea reliquum eſt, inane quidẽ manebit. Cæterũ hiſtoria multiplex, eſt, alia enim eſt Chronica, alia Annales, alia Cõmentaria,

Animal. Lucia. lib. de Scrib. Hiſto.

Lib. 11. Geogra.

Lib. 12. Hiſt.

Genera hiſtoriæ quot & quæ ſint.

mẽtaria, alia deniq; Vitæ. Chronica eſt, quæ per ætates ordine tẽporũ diſtinctas, res geſtas cõprehẽdit, quales ſunt generales & vniuerſæ narrationes, quæ cõplectuntur, quid ante diluuiũ, quidue poſt diluuium acciderit, vt Beroſi Chaldei Chronica, & Euſebij ea de Temporibus. Annales ſunt, qui per annos res geſtas componunt, ita vt quid ſingulis annis geſtum fuerit, ſingulorum annorum temporibus diſtinguant, vt Annales Egyptiorum & Romanorum, quos Sacerdotes & Pontifices ſcripſerunt, & Methaſtenis Annales Perſarum, ſub quibus Diaria hiſtoria cõprehenditur, quæ, vt alibi diximus, per ſingulos dies res geſtas deſcribit. Commentaria ſunt, quæ narratione conciſa res præcipuè geſtas per potiora capita cõprehendunt, vt hiſtoria Xenophontis de dictis & factis Socratis; Iulij Cæſaris Commentaria. Vitæ hiſtoria eſt, quæ illuſtrium virorum res geſtas, & ſapienter omnia dicta, reſponſaq; prudenter commemorat, vt vitæ Philoſophorum Laertij, clarorum virorum tam Græcorum, quã Latinorum vitæ Plutarchi, Romanorum Imperatorum vitæ Suetonij, Emilij Probi, & his ſimilium, aliorum, Vitæ Philoſtrati. De artificio vero operis hiſtoriæ conſtruendæ deo duce lib. 2.

diſſere

diſſeremus, nunc verborũ materiam præparemus, qua commodiùs lib. 2. pulchrum quoddam hiſtoriæ ædificium erigamus.

Oratio mentis interpres, eloquentiæ opus, hiſtoriæ inſtrumentũ, conſtat rebus & verbis, quæ, vt perſpicua & propria ſit, ita iungantur oportet, vt res verbis lucem, verba rebus ſplendorẽ afferre videantur. Vnde cũ hiſtoricus oratione narret, narrandoq; docere ac delectare debeat; quæ duo ſunt eius officia, quorũ primum neceßitatis eſt, alterũ ſuauitatis, danda eſt opera, vt primùm lectißimorum verborum copiam aſſequatur, deinde vt intelligat, qua arte verba debeat collocare. Nam parta verborũ copia elegantiora eliget, & quæ rebus exprimendis aptiora videbuntur, qua in re maxime Cicero laborauit, qui cũ Roſcio Romano hiſtrione (à quo confeſſus fuit, pronuntiandi & agendi modum accepiſſe) ſæpe contendebat, an ille vnam eandemq; ſententiã pronuntiaret pluribus geſtibus, quàm ipſe variis loquẽdi formulis variaret. Collocatio verò verborum, ſi apta fuerit, concinnam ac ſuauem efficiet narrationẽ, in qua etiam loborandũ eſt, ne nobis contingat, quod quibuſdam artis huius expertibus ſolet euenire, qui cum lingua materna res geſtas ab Hiſpanis

Duo ſũt hiſtorici officia docere & delectare.

noſtris deſcribant, neq; verborum habent delectũ, neq; collocationẽ obſeruãt, ſed temerè & fortuitò ita verba effundũt, vt mugire ac boare, potius quã loqui, ac narrare videãtur. Eſſe igitur debet hiſtoricus elegãs narrationis Architectus, vt quẽadmodũ Architectus ædificium erecturus, primùm calcẽ, arenã, lapides, ligna, & id genus reliqua deligit; deinde coiungit: ſic noſter hiſtoricus narrationẽ contexturus, primũ ſingula verba deligat, delecta verò, nõ vt cumq; & fortuitò, ſed arte & iudicio collocet. Quãto autẽ eſt præſtantius & difficilius erigere ædificia, quam calcẽ, arenã, lapides, & indigeſtam lignorũ molem ad ea conſtruenda coligere, tanto eſt collocatio verborũ eorundẽ delectu difficilior longèq; præſtantior. Eſt enim laudabile verborũ copiã inuenire, & ex ea; quæ ad res exprimendas aptiora videãtur prudenter ſeligere: ſed in quadã animi cogitatione defixũ intueri, quid cuiq; in iunctura & coagmentatione cohæreat, & quaſi ſonorum uarietate orationẽ diſtinguere, id certè maioris cuiuſdam iudicij teſtimoniũ eſſe putarim. Quod adeo verũ eſt, vt Caluus & Brutus Ciceroni, Eſchines Demoſtheni aliquot temerè collocatas voces vitio verterint. Parabitur autem verborum apparatus primùm ſi habea-

Hiſtoricꝰ eſt narrationis Architectus.

Difficilior eſt verborũ collocatio, quã inuẽtio.

Qui Ciceronẽ & Demoſthenem in

habeatur ratio imitationis, quæ cum ſit eloquentia comes, erroris expultrix, ignorantiæ miniſtra, nos quaſi manu ad eos ducet auctores, qui linguæ puritate, ad Romani ſermonis nitorem proprius acceſſerunt. Eſt ſiquidē vis imitationis maxima, non leuis vtilitas ad res difficiles facilè conſequendas, vſus adeò frequens, vt nihil ſit in rerum natura, quod non imitatione contentum videamus. Debet ergo in re omni, aliquid eius generis quod optimum & ſummum videatur ad imitandum proponi, cuius veſtigia cōſectetur, qui aliquid futurum ſimile aggrediatur, quantoq; magis ad exēpli propoſiti naturam, res acceſſerit, eiusq; ſimilitudinem expreſſerit, tantò maior eius debet perfectio iudicari. Quam regulam ſecutus Apelles, cùm iuſſu Alexandri Veneris pulchritudinem depingendam ſuſcepiſſet, quinq; Crotoniatas virgines, quæ cæteris corporis dignitate præſtarent, delegit; ex quibus id quod in quaq; excelleret, ad Veneris imaginē exprimendam, in eius ſimulacrum tranſtulit. Quam poſtea tabulā tantoperè coluit Alexāder, vt cū ſibi nuntiaretur ſubito incendio eius palatiū ardere, auri & gemmarū immemor, quibus erat refertū, & mea, dixit, etiā Venus ardet? Sunt tamen qui cum Cicerone ſentiant

verborū collocatione reprehēderint.

Imitatiōnis regula.

Lib.i. de innent. *tiant, zeuxim (qui tanta arte vuarum figuram expreſſit, vt volucres ipſas earum aſpectu deceperit) tabulam hanc depicturum ab Agrigentinis petiiſſe, vt aliquot ingenuas puellas detractis veſtibus ſibi per otium expectare liceret. Quare curemus, vt vnumquemq; optimum in eo inquo excellat, nobis ad imitandum proponamus, cuius ſimiles, quantùm fieri poſsit, eſſe conemur. Non enim opinor Apelles & Policletus tantam perfectionem adepti eſſent, vt vnius imagines, alterius ſtatuæ omnium in ſe oculos conuertiſſent, niſi ille à Pamphilo; hic ab Agelade prima ſuarum artium elementa didiciſſent. Imitatione peperit ars, artẽ obſeruatio naturæ, hæc duo exercitatio perfecit, quæ ſi fuerit diuturna, vt Socrates ſenſit, difficultatem omnem ſuperabit. Vnde idem Socrates tria propoſuit parandarum artium præſidia, artem, ſub qua imitationem voluit contineri, naturam & exercitationem, de quibus nos latè in libello de Vtraq; Inuentione Scholio. 4. diſputauimus. Imitari ergo oportet non vnum tantùm auctorem, neq; omnes, qui hoc ſtudium exercuerunt, ne nobis aliquid limi ex minus probatis contrahatur, ſed inter omnes præcipuos, ſcilicet eos, qui maiori verborum elegantia*

InDialogo Thimeo Plato.

In Dialo. Phed.

gantia præſtiterunt. Non enim credendum eſt in vnum aut alterum omnes ſuas dotes naturam contuliſſe, neque pariter omnes eiſdem eſſe inſtructos naturæ præſidiis, & ornamentis, ſed inter tot eſſe, qui poßint, quique non poßint adire Corinthum. Qui verò inter omnes proprio quodam elegantiæ iure principatum obtinuerunt, ſunt quidem Cicero, Terentius, & Cæſar; quos mox tamquam præeuntes ſecuntur Saluſtius, Liuius, Virgilius, Tacitus, Suetonius, & Iuſtinus: nam quamuis Cicero, Terentius, & Virgilius hiſtorici eſſe deſierint, ea tamen propriorum verborum elegancia abundarunt, vt ſine aliorum iniuria, eos verè poßis, tamquam nitidi candidique ſermonis parentes venerari. Neque ſane eis aſſentior, qui Vergilium horum in numero collocari ægrè patiuntur, quibus quamuis concedam aliqua ex parte benè ſentire, non tamen id ita concedam, vt ab eorum opinione non ſatis ſuperque diſſentiã. Nam quamuis fugienda in eo ſit aliquando Poetica quædam verborum collocatio, quæ ex poeticæ artis libertate profecta, parum optimas proprietatis leges obſeruat; vt virum canere, ora tenere, & ſimilia: ſingulorum tamen verborum elegantia, quorum delectum ſatis retinuit, non

Quos hiſtoricus imitari debeat in verborum electione.

ideo in eo debet contemni. Hiſtoricorum verò principem eſſe volo C. Cæſarem, nam & vixit Romæ ea ætate, qua plurimùm floruit eloquentia, & coluit ipſe eloquentiam præter cæteros, rebus verò gerendis non modo interfuit, ſed præfuit, quo factum eſt, vt vſum quoq; (qui ad ſcribendam hiſtoriam valet plurimùm) cum doctrina coniunxerit. Vnde nemo elegantius hiſtoriam ſcripſit, nemo breuius & ſignificantius, & cùm breuitatem, quæ magna in Commentariorum hiſtoria laus eſt, amauerit, ita tamen preſſus fuit, vt eius narratione nihil poßit eſſe illuſtrius. Saluſtius fuit ille quidem acutus, venuſtus, gracilis, nõ tamen ita grauis, aut elegãs, & in ſcribenda Romanorũ hiſtoria paulò liberior; qui cum vetuſtati nimis ſtuderet, & Catonis Cenſorini antiquitati eſſet maximè deditus, factũ eſt, vt in eius hiſtoria frequenter verba priſca & inuſitata occurrãt. Titus Liuius aliquantò fuit fuſior, & qui Patauiniũ ſapere dictus eſt, tamquã peregrinis vocibus nimis addictus, vberiorem tamen campum rerũ ab vrbe condita geſtarum centũ, & quinquaginta libris nobis aperuit, vt eius Epytomegraphus Lucius florus annotauit. Ex quibus centum & decem temporum iniuria periiße deplorat grauiter

Phi

Philippus Beroaldus, quòd omnia, quæ Romani per ſeptingentos annos geſiſſent, præclara ſacinora, veluti in vnum redacta corpus comprehendiſſent. Quantam iacturam populus Romanus paſſus eſt, cuius tot tantarumq; rerum geſtarum memoria cum libris Liuij ſimul interiit. Quantũ veræ famæ detrimentum ſummæ dignitatis Imperatores ſubierunt, quorum nomina fuiſſent ſempiterna, & res glorioſè geſtæ obliuionis tenebris inuolutæ, luce meridiana clariores cernerentur, ſi tot Liuij libri minimè intercidiſſent. Cum negari non poſſit in his quadraginta libris (demptis reliquorum fragmentis Lucij flori) quibus cælesti fauore fruimur, omnem rei militaris diſciplinam, omnia maximorum ducum ſtratagemata, omnes calliditates imperatorias, omnes leges Senatus, omnia populi decreta, omnes deniq; artes, quibus domi, foriſq; vtimur, contineri. Errant enim qui putant Liuium ſuos libros in Decadas diuiſiſſe, vt probauit Petrus Crinitus, & nos in lib. de optimo ciue Tractatu. 3. Dialo. 3. ex Priſciano & aliis explicauimus, & melius in noſtris Cõmentariis ad Emblemata Alciati in expoſitione Emblematis, Cum tacet &c. Quintus Curtius res ab Alexandro geſtas optimè perſecutus

In enarratione in Titũ Liui.

Titũ Liuiũ opus ſuum nõ diuiſiſſe in Decadas.

Crin. li. 7. c. 12. de honeſ. diſcip.

eſt, ſed præterquamquod quàmplurimis verbis inuſitatis, & ab exteris nationibus receptis, qualia ſunt paraſanga, magalia, phalanx, gaza, & aliis orationem affectauit, non paucis loquendi formulis ab illorum principum puritate diſceßit. Huic proximè accedit elegantia Emilius Probus, qui in eo ſaltim verè probus fuit, quòd plus temporis atq; laboris, in celebrandis eorum laudibus, quorum vitas deſcripſit, quàm in excolenda oratione, qua eos elegantius extolleret, collocarit; adeò vt dubitari ſoleat, an magis Encomiaſtes, quam hiſtoricus debeat nominari. Amianus Marcelinus mox ſequitur, qui & Poëticis pedibus paßim abundat, & tanta breuitati ſtuduit, vt verè canere poßit cum Oratio: Dum breuis eſſe laboro obſcurus fio. Iã de Eutropio, Iulio Capitolino, Tribelio Polione, Spartiano, Lãpridio, Paulo Emilio, Aurelio victore, qui Imperatorum vitas ſcripſerunt, nihil minus, quàm imperatorũ digno ſermone, non eſt quod iudiciũ feramus, cum nullum in eis præſtantis alocutionis veſtigium reperiamus, aut quod præter hiſtoriæ fidem poßimus cum dignitate laudare. Sit igitur huius præceptionis ſumma, vt quos paulò ſuperius nominaui auctores in parando verbo-

Qui Imperatorum vitas ſcripſerint, ſine vllo verborũ delectu.

rum

rūm delectu nobis ad imitandum proponamus, & quæ in vnoquoq; magis excellant verba, in narrationes noſtras ad res ſignificandas conuertamus: Stomachi enim eſſet corrupti, & intemperantis ægri deteriorem cibum eligere, optimū & ſalutarem aſpernari; neq; ſani iudicij eſſet argumentum, ſi inuentis frugibus glande veſceremur. Neq; in futuro hiſtorico exprobrabo, ſi præter eos, quos tamquam orationis lumina inter antiquos duxi imitandos, imitetur etiam & noſtri temporis alios, quorum non minus ſuauis & elegans, quàm ſapiens & grauis oratio, aut ferè eſt eadem cum illorum principum oratione, aut certe non omninò diſsimilis. Nam cum non omnia veteres dixerint, de quibus in noſtris hiſtoriis ſermo poſsit inſtitui, non erunt noſtrorum partus, vt inutiles & ſpurij repudiandi, qui ſuo quiq; in genere præſtantes, copioſi, acres, concitati, dulces, iucundi, atq; remiſsi extiterunt; illi præcipue, qui ab hominibus noſtra ætate florentibus, & veterum principum veluti lactis nutrito educatis profecti videantur. Siquidem Luſitanus Oſſorius in Emanuelis regis hiſtoria, Carolus Sigonius Italus in ea de Antiquo iure Italiæ & Romanorum hiſtoria, Aragonius noſter Strella

Laus quorundam hiſtoricorū recentiorū

Strella in Aphrodiſſeo expugnato,ad viuum nobis expreſſam Cæſaris,Saluſtij, & Liuij imaginē præbuerunt.Cur igitur non hos iure poſt illos hoc tempore imitandos trademus? cur eis debitum honorem ſuſceptorum laborum præmium detrahemus? In memoria habeo Paulum Iouium,quē forte iſtis prætuliſſem,ſi veritatem, quæ fidem hiſtoriæ tribuit,& ad quam tota narratio dirigenda eſt, perpetuò ſequeretur; ſed neſcio quo eius malo accidit, vt omnium ore receptum ſit,à Solimano Turcarum Tyranno, & Franciſco Galorum rege aliiſq; Principibus Caroli. V. Imperatoris ſacratiſsimi ingenti gloriæ inuidentibus munera accepiſſe,eo ſolo nomine, vt res eorum geſtas extolloret, & Caroli. V. laudem obſcuraret; vnde factum eſt,vt multarum rerum veritate detecta illis addictus fuerit, Hiſpanis verò rarò quidem adhæreat. Nam ſi potiſsima virtus & laus hiſtoricæ narrationis eſt veritas, vera autem eſſe non poteſt narratio,ſi non ſit libera omni affectu ſuſpitionis,odij,amoris, largitionis, in quam ſi horum aliquid cadat, non magis fidem faciet, quam Eſopi fabulæ, Aſinus Apulei, nouellaq; Bocatij, quî eius hiſtoria poterit commendari, qui largitionibus infectus animā hiſtoriæ

Paulus Iouius reprehēditur,quod ſuſpectā hiſtoriā ſcripſerit.

hiſtoriæ ademerit, & ab officij munerisq́; ſuſcepti fidelitate turpiter declinarit? vnde Pauſanias mirificè reprehendit Hieronymi Cardiani hiſtoriam, quòd cum eo Principe, cuius res geſtas ſcripſerat, familiariſsimè vixiſſet, dicens; qui cum viro principe familiariter viuit, neceſſe eſt ad fauorem eius omnia ſcripta accõmodare. Polibius verò, quo modo nuda veritas narranda ſit ab hiſtorico, expoſuit his verbis; nihil inquit falſi ſubtexẽdum in hiſtoria, nihil fingendum, nihil veri tacendum, ſit liber ab omni perturbatione, & affectu in quamcumq́; partẽ hiſtoricus, nihil amore vel odio ductus ſcribat, laudet laudanda, contraria vituperet. Sed iam de proprietate verborum, & peculari eorum electione dicamus.

Lib. 1. in Atticis.

Lib. 2. hiſto.

Electio verborum eſt ratio inueniendi, & collocandi verba, rebus quæ narrantur aptiora; cuius officium eſt expendere, ne aut impropria ſumantur, aut inconcinnè collocentur, ne narratio legentium aures turpiter offendat. Verborum autem electio duplex eſt, vna propria, altera figurata; propria verba dicuntur, quæ ita fuerunt rebus impoſita, vt cum earum naturis conſentirent; hinc à quibuſdam natiua,

Quid ſit electio verborũ.

Duplex verborũ electio.

quaſi

quaſi cum rebus nata dicuntur, vt mare, oculus, ignis, aer, animà, ager, de quorum impoſitione accuratè Plato diſputauit. Propriorum ergo verborum delectus is erit, quo ea verba probabuntur, quæ latinè loquentibus familiaria eſſe cernentur, & quæ rebus, quæ narrandæ erunt, exprimendis accomodatiora videbuntur. Figurata ſunt verba, quæ propria primùm cũ ſint, à nobis vel neceßitatis, vel ornatus cauſſa, ad res alias earum dißimiles, quibus propriè impoſita fuerant, transferuntur; vt fluit oratio, gloria incendit, prata rident, animus ardet, cũ fluere ſit fluminis, incendere & ardere ignis, ridere hominis. Sed de figuratis alibi, nunc de propriis ſermonem inſtituamus: quorum amplam habere ſupellectilẽ parũ historico proderit, niſi quæ ex eis recipere, & probare, quæ fugere, & vitare debeat, prius intelligat, quàm ea rebus accõmodet. Vnde expẽdat opportet ſingula diligẽter, neq́ enim quæ prima facie videntur aptißima, illuſtrem efficient orationem. Prudentes ergo ac prouidos duces imitetur, qui ad bellum non omnes admittunt, qui ad danda nomina veniunt, ſed eos ex omnibus deligunt, quos ad ſtrenuè certandum fortiores, & vtiliores fore comperiunt. Vt

In toto Dialogo Cratylo.

igitur.

igitur apertè verba cognoſcat, diſtinguenda ſunt rerum genera, quibus cum verba reſpondeant, quot ea erunt, tot etiam erunt propriorum verborum ſpecies, quibus rerum proprietas exprimetur. Res autem aut infimæ ſunt, aut mediocres, aut ſummæ; verba ergo huiuſmodi quoq; erunt, cũ res infimæ infimis verbis, mediocres miſtis atq; temperatis, ſummæ ſummis debeant explicari. Hinc tria illa ſcribendi genera & lumina nata ſunt, inquibus omnis oratio verſaretur; Humile, Sublime, & Temperatum. Humile, ſeu ſubmiſſum, ſeu tenue genus ſcribendi eſt, quod cum ſit ſua ſponte fuſum, non verſum atq; mutatum, puro quodam ſermone continetur, & verborum colores & ornamenta recipit rarius, quo tractandis Philoſophiæ quaſtionibus, ſermonis verò familiaris vſui nullum eſt accommodatius; eoq; in quotidianis ſermonibus vtimur, in conuentibus, congreſſionibus, domeſticis colloquiis, in communicandis conceptibus, tractandis negotiis, exponendis auctoribus, & aliis rebus innumeris, inquibus exigua acrimonia, & modica uis dicendi opus eſt, qualis eſt Comicorum dictio ſermoni proxima: quo Cicero multas epiſtolas omnes ferè Philoſophiæ libros ſcripſit, Terentius & Plau

Tres rerum ſpecies ex quibus tria naſcũtur ſcribendi genera.

Humile genus ſcribẽdi quale ſit.

Sublime genus ſcribẽdi. Plautus ſuas Comedias confecerũt. Sublime, ſeu ardens, ſeu aculeatũ, huic opponitur ſcribendi genus, quod grandiũ, ſonantiũ, grauiũ & ſublimiũ verborũ compoſitione illuſtratur, forenſibus cauſſis & contentionibus ab oratoribus, rebus præclarè à regibus geſtis à Poetis ſæpius adhibetur; eoq́; vſus fuit Cicero in Catilinam & in Piſonẽ, Virgilius in Æneid. Lucanus in Pharſ.

Mediũ genus ſcribẽdi. Medium, tẽperatũ, mediocre, ſeu his interiectũ eſt genus ſcribẽdi, quod neq́; conſtat ſublimis illa maieſtate verborũ, neq́; arida illa humilis cõſtructione extenuatur, vtũtur eo hiſtorici Cæſar, Saluſtius, Liuius, & reliqui; Cicero in libris de legibus, de Officiis, in oratione pro lege Manilia; Virgilius in Buccolicis. Cũ igitur rebus æqualis debeat eſſe oratio, ea maximè erit laudanda, quæ magna grauiter, humilia ſubtiliter, mediocria tẽperatè narrauerit. Nam quamuis hiſtoricis mediocre ſcribẽdi genus tribuatur, non illo tota narratione ita vtuntur; vt quemadmodum rebus, non eodem modo oratione narratio varietur.

Res mediocres ſunt hiſtoricorum materia. Etſi enim rerũ, quæ ab eis narrantur, ea potiſſimũ ſit natura, vt maiori ex parte ſint mediocres, eaſq́; frequentius narratio cõplectatur; non tamen id ita accipiendũ erit, vt crebrò non etiã ſublimes, infimaſq́; quãdoq́; attingat,

tingat,

tingat, ſicq́ orationis facies plerumq́ mutetur, omniaq́ ſimul genera eadẽ in narratione miſceã tur. Verùm cũ ex frequentiori materia nomẽ ſumendum ſit, fit inde, vt ex mediocribus rebus tã quam ex frequentioribus, ſibi narrationes tẽperatum ſcribendi genus deſumpſerint. Quòd cũ res alias ſummas, & ſublimes, alias infimas & humiles, alias tẽperatas & mediocres dixerimus, quibus ſingulæ verbis, aptiùs exprimãtur, videamus. Humiles ſignificant verba leuia, humilia, exilia & parua: ſublimes & ſummas verba explicant grauia, ſublimia, ſonantia, grãdia: mediocres & miſtas, mediocria & tẽperata declarãt, de quibus verborũ generibus, vt ſecũtur ordine diſſeremus. Leuia ſunt verba quæ res ipſas extenuant, & certo modo abiiciunt, hinc à leuando dicta, nã vt ea quæ ſunt exigui põderis facilè ſurſũ ferũtur, vnde leuari, & leuia propriè dicũtur; ita verba quibus res minuuntur ac deprimuntur, quòd minimũ pondus habeant, Methaphoricôs leuia dicũtur, vt attingere pro pulſare, ledere pro vulnerare. Huius ordinis ſunt, quæ à grammaticis dicuntur denominatiua, vt opuſculũ, tabella, munuſculum, libellus, animula, corculum, palliolum, homunculus: & quæcumq́ componuntur à propoſitio-

poſitione ſub, vt ſubruſticus, ſubtriſtis, ſubiratus, ſubuindicare. Grauia his oppoſita ſunt, quæ àgrauando deducta magno ſignificationis pōdere vrgent, ſumpta metaphora à rebus ponderoſis, quæ ſuo pōdere deorſum feruntur, vt moderatio grauior eſt quàm modeſtia; frequēter quam ſæpe; raptor quàm fur; efflagito, quàm peto, charitas quàm amor; procella quā ventus; amare quam diligere; quæ aliquando fiunt grauia per ſuperlationē, ita grauiùs ſonat præſtantiſsimus, quā præſtantior; ſapientiſsimus, quā ſapientior; excellentiſsimus quàm excellentior: aliquando appoſitione Epithetorum, vt facinus inauditum, clementia ſingularis, ſcelus incredibile. Humilia ſunt, quæ res abiectas, & ſuapte natura humiles ſignificāt, ſicq́ ab humo dicta humilia, quaſi res humo iacentes, ac viles exprimant, vt offa, glans, olla, caſa, ſartago, & omnia mechanicorum opificum inſtrumenta, rerumq́ ruſticarum nomina. Sententiarū verba excipio, quæ quamuis naturà ſint humilia, non tamen ideo ſententiæ vileſcunt, vt
3. Tuſcu. aliquando ſub pelle ouicula latet cauda ſcorpionis, & illa Ciceronis ſententia; aliquando ſub ſordido palliolo latet ſapientia. Unde Aulus Gellius.

Sæpe

❡ *Sæpe etiam eſt olitor valdè opportuna locutus.*

Humilibus verbis vtuntur rei ruſticæ ſcriptores, Bucolici Poetæ, & Satyrici, Philoſophi, Oratores in infimo genere ſcribendi, atq; ſæpe Hiſtorici in rebus iocoſis. Sublimia verba ſunt, quæ res ſummas, amplas, & magnificas exprimunt, ita dicta, quaſi à ſub & limo compoſita, quod res altas ac ſubleuatas declarent, eiſq́; maiorẽ auctoritatem & maieſtatem tribuant; qualia ſunt omnia quæ vel natura, vel homnium iudicio ſplendida & magna iudicantur; vt illuminare, imperare, ſacrificare, muſæ, planetæ, cæteraq́; res cæleſtes, Heroes, cælites, veſtes ſplendidæ, virtutes, magiſtratus, & id genus reliqua: quibus aliquando vtuntur Hiſtorici in narrando argumento graui, req́; ſublimi. Exilia verba ſunt, quæ literarum tenuitate vix aures attingunt, vt minimus, ſibi, Titire, fuit; nam cum ex literis ſyllabæ, ex ſyllabis voces componantur; quæ voces ex ſonantibus literis, & ſyllabis efficientur, ſonantes erunt; quæ ex exilibus exiles. Sonantia verba ſunt à ſonãdo dicta, quòd maximum ſonum fundant beneficio literarum ex quibus conficiuntur, vt accommodare, proclamare, monſtrum, attollo. In rebus ali

quot ſublimibus exprimendis, accommodare debet eis hiſtoricus verba ſublimia, tenuibus exilia, nam miſta & temperata, totam ferè narrationem illuſtrant. Parua ſunt verba, quæ vel breuitate, vel paucitate ſyllabarum, vel vtroq; ſimul præcellunt; breuitate, vt animus, docuit: paucitate, vt fax, vix, eſt, vtroq;, vt vir, ſit, furit. Grãdia ſunt, quæ magnitudine ſyllabarum excellunt; quædam vero temporibus ſyllabarum grandia ſunt, quamuis non ſuperent numero, vt nôras grãdior eſt, quam foras, mâter, quã pater, quædam multitudine, vt inimicitiæ, patefaciet, quædam longitudine & numero ſyllabarum, vt balneatores, contendebant. In his autem verbis caueat ſemper hiſtoricus ne rebus exiguis verba grãdia, parua verò magnis accommodet, quod quã ſit indecòrum, oſtendit Ludouicus Viues, qui Lõgolium reprehendit, quod rebus exiguis verba grandia adaptarit.

In lib. de Cõſcrib. Epiſto.

Vitia verborũ, quę vitãda ſunt.

Præterea parabitur verborum elegantia, ſi vitemus verba inuſitata, priſca, obſoleta, dura, peregrina, barbara, obſcena, & noua; de quibus aliqua ſigillatim dicemus. Etenim vt ex paulo Diacono & Pomponio Leto in Cæſarum hiſtoriis, aliiſq; didicimus, Gothorum, & Longobardorum

rum (qui vniuerſam Italiam ducentos & amplius annos crudeliter infeſtarunt) aliarumq; gẽtium & nationum contagione, latina lingua armis propè dicam perterrita, adeo deprauata, & veluti barbarorum tenebris obſcurata fuit, vt eam in veterem dignitatem, & priſtinum ſuum nitoris ſtatum reſtituere, immenſi laboris ſtudiũ, & multarum opus ætatum eſſe videretur. Quippe vix inter ſe poſſe verba diſtingui videbãtur, ac Romana à barbaris, domeſtica à peregrinis, vrbana à ruſticis, vſitata ab obſoletis, priſca à nouis, atq; per riſum quaſi detorta à ſeriis ſeparari; ſic deniq; fuerunt omnia perturbata, vt nulla ferè remanſerint Romani ſermonis veſtigia; ſed (vt Quintilianus ait) omninò latinus ſermo inuerſus atq; mutatus permanſerit. Inuſitata verba ſunt ea, quæ iã illud Ciceronis tẽpus (in quo verborum candor vigebat) reſpuit atq; contempſit, vt ſi ſenem rugoſum, paſſum apellemus, ſi pro interdũ, & interim, interduatim, & interatim dicamus, auctare pro augere. Plautus, bono atq; amplo auctare perpetuo lucro: ſic delegere & diſpertire pro diſcedere inuſitatũ & vetuſtũ eſt, vt tradit Nonius Marcellus; Turbucinare pro celeriter comedere dixit Plautus, bitet pro veniat hoc mo-

Lib. 2. inſti. cap. 5.

Verba inuſitata quæ dicãtur.

In Amphitrione.

In lib. de Propri. verb.

In Amphit.

In Curculio. *do Phædronius; qui me æque fortunatus, ſi illa ad*
me bitet; & Ephidicus pappare pro edere; liber In Epidico.
to (inquit) opus eſt, quod pappet; & Chryſalus, il-
lud flagitium volgo diſpaleſcere, pro innoteſcere. In Bacchide.
Sunt verò in vniuerſum verba inuſitata, quæ à grammaticis deſideratiua & meditatiua dicũtur, prioris ordinis ſunt, peteſſo, faceſſo, & ad hanc ſimilitudinem frequentatiua pleraq́ʒ, vt apud Varronem toneſſo. Plautus, mißiculare li- In Epidi.
teras dixit, pro ſæpe mittere. Cicero peteſſere, pro 2. Tuſcu.
appetere ita ſumpſit; qui hanc laudem peteſſunt, nullum refugiunt laborem. Virgilius.

¶ *Haud mora continuo matris præcepta fa-*
ceßit. Georg. 4

Poſterioris ordinis ſunt nixurio, pro eo qui nititur, & Syllaturire, & proſcripturire, pro eo, qui Sillam deſiderat, proſcriptionemq́ʒ cupit, Cicero, Sillaturit (inquit) eius animus & proſcripturit. Lib. 9. ad Atticum Epiſt. 41.
Empturire Varro dixit; Te empturientem in campos macros abducunt crebrò pedes. Martia Lib. 2. de re ruſt.
lis cenaturit dixit, & cacaturit; dicturire Ma Lib. 11. Epigra.
crobius, nepturire Apuleius, ſculpturire Plautus, & id genus alia plura, quæ ſingula perſequi, In Apologia 1.
eſſet moleſtum & nunquàm oratio finem habitu In Aulularia.
ra,

ra, præſertim cum paßim legentium oculis Plautum & Apuleium vetuſtatis amatores ſeſe obiiciant. His proximè accedunt priſca, quæ multò iam ante Ciceronis tempora intermiſſa fuerunt, quorum locupletißimum Dictionarium ſcripſit Iunianus Maius parthenopeius; huius generis ſunt, antigerio pro opuleſco, defrugare pro extenuare, ſic auctutum pro quàmprimum Plauto familiarißimum eſt, à Cicerone ſemel tantùm legimus vſurpatum, his verbis; Ego mortem auctutum futuram puto. Plautus pollucibilitatem, pro epularũ opulentia ſumpſit. Perduelis & Perduelio pro hoſte priſca apellat Cicero, rationemq́; reddidit quarè intermißa eſſent, vt verbi nimirùm lenitate rei triſtitia mitigaretur; Duelũ pro bello priſcum etiam eſt, quo vſus eſt Tacitus. Obſoleta dicuntur, non modò quæ tempore Ciceronis eſſe deſierunt, & quæ iam diù ante eius tẽpora in deſuetudinem abierunt, qualia fuiſſe præcepimus inuſitata, & priſca, ſed quæ iam multorum antea temporum obliuione deleta penitùs extiterũt, veluti quæ ex legibus colliguntur duodecim Tabularũ, ex fragmentis Ennij, Lucili, Neuij & Pacuuij, & quæ ex quibuſdã antiquioribus, veluti ab vltimis, & obliteratis tẽporibus repetũtur, qualia

Priſca verba quæ dicantur.

12. Phili. in Mar. Anto.

In Comed. Epidico.

Lib. 1. & 3. Offic.

Lib. 5.

Obſoleta verba quæ ſint.

ſunt bouinari, appluda, floces, & id genus alia multa, quæ latiſsimè Aulus Gelius numerauit. Sic toper pro cito exantlatus & exantlare obſoleta ſunt, & quamuis exoleuerunt, eis tamen Cicero multis in locis vſus eſt, vt inde facile liceat coniectari, quàm difficile ſit, lectiſsimã verborum copiam inuenire. Hinc Titus Liuius faceſſe, auerruncare, infit atq; id genus inuſitata alia vſurpat, vt Mar. Anto. Sabellicus annotauit. Tractim pro ſenſim dixit Plautus, & viere oculos, pro deflecti, & ſic alia, quibus pleniſsima eius Comediæ leguntur. Hiſtorico autem deterior erit cognitio, quàm obſoletorum verborum ignoratio, quæ ſi aliquãdo hiſtoriarũ narrationibus, aut colloquiis familiaribus, domeſticisuè inſerantur, interprete ſemper indigebunt, vt olim Amaſiniorum opera, quæ ex induſtria obſoletorum copia obſcurata, à paucis intelligi potuerunt. Quo quidem vitio aliquantulùm Saluſtius laborauit, qui cum florente Romæ elegantia vixiſſet, relicta Ciceronis ac Cæſaris imitatione, qua magis ſuam hiſtoriam illuſtraſſet, Catonis Cenſorini vetuſtatem maluit imitari, & obſoletis quibuſdam verbis (qualia illa ſunt patrare bellum, ductare exercitum, patrare conſilium, & eius generis

Lib. 1. c. 10. Noct. Attic.

In. 1. & 2. Tuſc. & in 2. Aca. queſt.

Sabel. in Enarra. in. T. Liui.

Amphit.

In Menechmis.

Saluſti⁹ & Valerius Maxi. obſoletis verbis hiſtoriam peruerterũt

ris

ris alia) aliquo modo perſpicuitatem narrationis peruertere. Quod etiam quidam Valerio Maximo vitio vertunt, qui cùm Tiberij Cæſaris ætate floruerit, quo tempore latina lingua nondum à ſuo nitore deceſſerat (cùm ſermonis Romani elegantia tempore Domitiani obſcurari cæperit) maluit tamen à ſui temporis proprietate abeſſe, quàm illum omnium aſſenſu probatum Cæſaris ac Ciceronis delectũ retinere. Dura ſunt verba, quæ ex metaphora duriuſcula proficiſcuntur, qualia illa fuerunt Catonis, qui Rempublicam caſtratam fuiſſe dixit morte Camilli; pro eo quod eſt, ciuitatis robur eo mortuo concidiſſe. Vnde Oracius neſcio quem Furium reprehendit, quòd cõſpicuit alpes, pro ningit, hoc carmine vſurpauerit. Verba duraque ſint.

¶ Iupiter hibernas cana niue conſpuit alpes. In Arte Poet.

Huiuſmodi ſunt; habet intincta labra lactucis, pro aſpero; cultrum tonſoriũ praeſſe ciuitati, pro auaro, & diuitiarũ cupido; edet mugitum, pro eo quod eſt, eius doctrina non erit obſcura; adoreũ virum, pro tumente & ſuperbo. Peregrina verba ſunt, quæ non Romæ nata fuerunt, ſed extrinſecus aduenerunt, vt caſus, pro vetulo; quod à lin

gua Sabina profectum, Romani aliquot acceperunt: gruppare, pro equitare; quod olim Siculum erat; paraſanga, pro ſpacio triginta ſtadiorum, quod Perſicũ fuit; ab Hiſpanis & Gallis carrus, pro rheda; à Panis Mappa, pro deſcriptione. Huiuſmodi quoq; erunt propria cuiuſq; artis vocabula ſi alieno loco vſurpentur: Sunt enim quadã Theologorum propria, quadam Philoſophorum, Grammaticorum alia, pleraq; Medicorũ; multa peritis & polyticis viris aliena, qua vulgi ore iactantur, vt ruſtica, qua ciuili oratione admitti non debent, qualia ſunt in noſtra lingua, palla, pro paja; mulo, pro macho; taſtar, pro guſtar; caçuelo, pro puchero; bullir, pro heruir, puyar, pro ſubir; teguillo, pro techo; recular, pro retirarſe atras; ſpedo, pro aſador; cacho, pro abajado; cama, pro pierna; guello, pro ojo; dueño, pro duende; quibus & ſimilibus apud nos lippi, cupidinarij, nebulones, & mechanici alij plebei artifices frequenter vtuntur. Neq; enim vrbanus eſt ſermo quidquid in Buccolicis, & Georgicis à Vergilio dicitur: vnde illi verſiculi ei probro obiecti ad noſtram vſq; atatem peruenerunt.

Donatus in vita Verg.

¶ Dic mihi Dameta, cuiũ pecus anne latinũ?
Non verũ Ægonis, noſtri ſic iure locuntur.

Noua

Noua ſunt verba, quæ à recentioribus nulla impellẽte neceßitate, ac latinæ linguæ inopia libere ficta ſunt: quod vitiũ familiare eſt illis, qui nouã quandã philoſophiã profitentur, ac in ea ſunt hæreſi, vt exiſtiment, nullis philoſophiã ornamentis indigere, nullã verborum proprietatẽ expoſcere, nullumq́ vnquàm ſermonis delectũ admittere: ſed nouis quibuſdam verbis repertis, mira miſteria, & mortalibus inaudita miracula pollicentur. Qui quantoperè decipiãtur, audiãt queſo eorum magiſtrum Ariſtotelẽ proprio ore dicentem his verbis: qui nouum ſermonis genus excogitãt, res quaſdam nouas, & omnino incompertas obtrudunt, & ſomniant, dũ ineptæ ſubtilitatis laudem affectant: nõ enim rectè dicitur, quod inepto ſermone dicitur, neq́ aptè Philoſophia docetur, noua quadã orationis facie reperta. Cicero, qui elegãs fuit verborũ Architectus, primus dixit declamare, pro eo quod eſt, intra priuatos parietes ad exercendã eloquentiam dicere: cuius tẽpore (vt ipſe teſtatur) fauor & vrbanus voces erant nuper inuenta: obſequiũ primus dixit Terẽtius, vt Cicero & Quintilianus annotarunt. Hoc verbum (materia) tempore Ciceronis, vt idem Cicero confitetur, nouum erat, non tritum & vſi

Noua verba quæ dicantur.

In Catego. c. de relat.

In Ora poſt red d. t.

In Andr. Act. 1. Sce. 1.

Cice. in

lib.de A- *tatum, eò tamen ipſe vſus fuit, à quo materia-*
mici. *tum deriuauit, qua vox delicatis auribus abſo-*
Quint. lib.8.c.3 *na erat, ea tamẽ libenter vſus eſt. Madaurenſis*
In Acad. quæſt. *Philoſophus Platonicus, vt ipſe ſecum gloria-*
lib.3.of- *tur, primus inuenit has voces vertillam, & via*
fici. *ginal, ſe ſolo (vt opinior) nec alio intelligente.*
Philip. 13. *Huiuſmodi tandem ſunt vituperones, amara-*
In Apo- *bundus, ſubſequa, nupturire, verbigerari, &*
logia.1. *alia ſexcenta, quibus Apuleius abundat. Poe-*
pro ſeipſo. *tis verò nullus nouarum vocum vſus interdi-*
In hiſto. *ctus eſt, cum liberè, vt libet, quibuſcumq; ver-*
Aſini. Aur. *bis vtantur; iuxta illud Oratij.*

In Arte Poe.

¶ Vt ſylua foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modo nata vigentq;.

Et paulò inferius.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere cadentq;.
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus.
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Lib.3.de *Cicero verò tamquam ſpinoſum reprehendit di-*
cendi

cendi genus Stoicorum, qui rebus verba ad libitum nullum ſectantes orationis ſplendorem accommodarunt. Eodem nos modo hac noſtra ætate ſpinoſum appellauimus dicendi genus Iuriſperitorum quorundam, qui à veteribus illis latini ſermonis obſeruantiſsimis Legiſllatoribus lōgè quidèm abſuerunt; & nulla orationis, vel propriæ, vel elegantis, vel copioſæ habita ratione, in eam barbariem inciderunt, vt omnem prorſus, tam craſſa iuditiorum caligine, & tumultuaria opinionum varietate, veterū Iuriſconſultorum elegantiam oppreſſerint. Hinc multitudo litium; hinc varietas cauſſarum; hinc tot inueteratæ altercationes; hinc priuatarum publicarumq́ rerum perturbatio; hinc deniq́ labes & pernities ciuitatum. Quippe eò animi omnes cogitationes referunt, vt terminis quibuſdā deterrimis, in infinitum lites augeantur, & cū nullus futurus ſit vnquam rixarum contentionumq́ finis, ſitim inſatiabilem auri iure vel iniuria expleant, miſerrimorumq́ clientum (qui ſe ſuasq́ fortunas ſuæ fidei atq́ tutelæ commiſſerunt) bona prorſus abſorbant, non controuerſias dirimant, lites componant, aut ius vnicuiq́ tribuant, atq́ conſeruent: cum antiqui Legiſlatores

fini.

Genus loquēdi ſpinoſū quorundam noſtri temporis iuriſperitorum.

tores

tores nihil magis in litibus quàm temporũ dilationem reſpuiſſent. Hinc etiam fit, vt nullã quãtumuis turpem cauſſam deſerant, ſed iuris ſcientiam ſua ſponte Reipubl. ſalutarem, & ad bonorum præſidium repertam: ad iniurias alendas extrahendasq́ lites per calumnias, & malitioſas iuris interpretationes conuertant, & cum ea ſine culpa legum temerè abutantur, ipſas leges fruſtrari, ac iudices eludere captionibus præſtigiiſq́ contendant. Sed de hac re diximus elegantiùs plura in oratione, quam in Salmantiſcenſi Academia in laudem Iuriſprudentiæ habuimus: nunc ad propoſitum reuertamur. Quintilianus nouorum verborum vſum videtur his verbis reprobaſſe: nam ſi recepta ſunt (inquit) orationi laudem perexiguã aferunt: ſi repudiata cũ ludibrio in ſcenã quaſi prodibunt. Ætate verò Ciceronis cũ omnes latinè loquerẽtur, licebat aliquando rebus nouis ad ſimilitudinem receptorum noua vocabula inuenire, quod & Cicero fecit, & inueniẽdi facultatem conceſsit. Hodie die tamẽ ſi res nouæ in hiſtoria ocurrant, tutius eſſe crediderim, periphraſi vti, quàm ridiculas rebus voces imponere, ne cum ex Hiſpanicis noſtris latinas reddidiſſe putemus & Italis, & Gallis parùm

Lib.1.c.5. ad fi.

Lib.2. de natu. deorum.

parùm intelligamur. Vnde Iouius cum explicare vellet id, quod hiſpanicè dicimus, Eſtribos (quibus cum Romani olim caruiſſent, & ipſe latina voce carebat) circuitione apellauit, ferrea inſtrumenta, quibus pedes ſuſtinet eques. Ad eũdem modũ Paulus Manutius, quod hiſpanicè dicimus, Guadamaziles periphraſi nominauit, coria deaurata, quibus parietes induũtur. Quo modo elegãtiùs loquemur, quàm ſi temerè nouas voces excogitemus, vt rediculè Dialectici & Philoſophi quidam fecerunt, qui barbaras quaſdam voces, vt prædicari, prædicatum, prædicabile, prædicamentum, ſpeciem ſpecialiſſimã, quidditatiuam definitionem, rationale, riſibile, vniuocum, æquiuocum, & alia huius generis prope infinita inuenerunt. Quibus quid abſurdius? quid inſolentius? quid turpius poteſt cogitari? id ſi eis obiicias, reſpõdebunt (ſi diis palcet) quid aliud faciemus, elegantiores voces, quibus iſta exprimamus, minime inueniuntur; ſit profectò, vt in quo ſe ſapienter reſpondiſſe exiſtiment, in eo potiùs ſuam ignorantiam oſtendant. Nam quod Perionio & Gruchio elegantiſſimis Ariſtotelis interpretibus mira facilitate licuit, cur ſibi eodem iure non licebit? An fortè quia illis natura mater

In lib. Elegantia Cicer.

Barbaries Dialecticorum.

ſibi

ſibi verò nouerca fuit? Cur non aut latinis vtentur, aut Græca Ariſtotelica retinebunt, ne barbarè, agreſtè, incultè loqui cogantur. Quid ni pro prædicari, eſſerri, dici, enuntiari; pro prædicabili, vniuerſum, vocem communem, id quod eſſertur aut dicitur; pro ſpecie ſpecialiſsima ſpeciem infimam; pro rationali rationis particeps; pro riſibili riſus capax, pro quiditatiua definitione, definitionem accuratam eleganter vſurpabunt? & pro prædicamento, Categoriam, pro vniuoco, ſinonymũ; pro æquiuoco homonymum dicentes Græcè ferè loquentur? Græca enim retineri maximè poſſunt, quando noſtris ſunt venuſtiora, quando aliquid occultare contendimus, quando Græci auctoris ſententiam, verbaq́ referimus, & tunc maximè, quando noſtra, ideſt latina deſiderantur. Neq́ ob id improbo aliquas voces, quæ quamuis non ſint latinæ, partim eleganter inuentæ, partim à Græco, partim ab Hæbreo fonte prodierunt, quæ vſu appoſitè recipiuntur, vt Chriſtus Eccleſia, Euangelium, Spiritus ſanctus, Apoſtolus, Sacramentum, Euchareſtia, Archiepiſcopus, Cardinalis, Diaconus, Propheta, & alia, quæ mutare impium cenſeretur, & nõ minus eis hiſtorico vti licebit, quam his, quæ à theſauro Ciceronis

ceronis eruuntur. Obſcena ſunt verba, quæ Oratius inmũda & ignominioſa apellat, quæ & à libris deleri deberent, & ab omnibus penitus ignorari. Ageretur ſane de Repub. Chriſtiana melius, ſi rigido quodam iure pænaliq; lege lata magiſtratus omnes interdicerent, ne deinceps Scholarum ludimagiſtri turpes Poetarum fabulas iuuentuti exponerent, quæ in bonæ indolis animis corruptos mores generant, ſed ne fædos & impudicos Poetas ipſi manibus attingerent, omnesq; cuiuſuis generis ſordidos libros reiicerent, vt ſe omni macula deinde liberos diſcipulis, ac Reipublicæ exhiberent: Quam ſane peſtem quamplurimi auctores ſummoperè deteſtantur, quos retulit eruditiſſimus Doctor, noſterq; conciuis Petrus Cenedo Beatæ Mariæ del Pilar præſtantis dignitatis Canonicus. Quodq; conſilium, video iam à principio Gymnaſio Societatis Ieſus valde placuiſſe, & vehementer Conſilio Tridentino probari. Etenim obſcenos Poetas pernicioſiſſimis lenonibus deteriores eſſe crediderim, lenones enim non ſemper apertè pudicitiam impugnant; at Poëtæ obſceni, & improbi perpetua lectione, nõ modo palam expugnant, ſed omninò corrumpunt; adeò vt vel inuitus illud Ouidius cecinerit.

In Arte Poe.

Quæ dicantur verba obſcena.

In lib. Collect. ad ius Canon. par. 2. Colle. 8. num. 3.

Auctores obſcenos peſtẽ eſſe iuuẽtutis.

Eloquar

¶ *Eloquar inuitus,teneros ne tange Poetas,*
ſubmoueo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori,
Et cum Callimacho tuquoq; Coe noces
Me certè Sapho meliorem fecit amica,
Nec rigidos mores muſa Thaleia dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
vel tua,cuius opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea neſcio quid carmina tale ſonant.

Concinna certè multa Martialis cecinit,ſed quàm turpia nimium multa vbiq; deuomuit, quæ teretes aures pati non poſſunt? familiariter loquitur Terentius,iucundè Plautus; at verò, quantoperè iuuentuti noceat,artem ſcortandi di diciſſe, Reſpublicæ magno cum detrimento experiuntur; omitto reliqua,quæ (vt alibi diximus) colloquiis impudicis rectos iuuenum mores vehementer inficiunt. Nihil de Ariſtophane dicã, quòd nota ſit omnibus non modò eius libertas,aut licentia,ſed turpitudo,atq; impudentia. Quàm ſubtiliter Lucretius de rerum primordiis, ſeu corpuſculis indiuiduis de eorum motu & figuris; de imaginibus,ſiue ſimulacris, quæ è ſummo

rerum

rerum corpore mittuntur;de animorum motu, de ortu obituq́ſiderum, de Solis, & Lunæ deffectu,de fulminum natura, imbriũ, tempeſtatumq́ cauſsis; de arcu cæleſti, de auernis,de morborum affectionibus, & cauſsis,aliiſq; mulits rebus diſputauit? Quàm venuſtum,quàm præclarum, quàm omnibus ingenij luminibus diſtinctum,inſigne, illuſtratum poema ædidit? infectum tamen abſurdis Epicuri(quem ſecutus fuit) opinionibus; quibus animorum immortalitatem oppugnat, deorũ prouidentiam negat, religiones omnes tollit, ſummum bonum in voluptate collocat; vt illas interim deteſtabiles ineptias conſultò prætercam; de atomorum concurtione fortuita, de mundis innumerabilibus,de eis nunquam ortis neq; interituris, quas neq; difficilè nobis eſſet refutare, neq; neceſſè eſt, cum ab ipſa veritatis voce, vel tacentibus omnibus facillimè refellantur. Sunt tamen inter Poetas alij, qui opera omnibus numeris abſoluta ad vitæ inſtitutionem reliquerunt,qualia ſunt, Phoclidis, Tirtei, Theoginis, Heſiodi,ac ſimilia, quæ Iſocrates magnopere cõmendauit.Verùm vt hos cũ Iſocrate mirificè laudo,ſic cum Platone pœnitùs abominor omnes eos Poetas antiquos & recentiores, qui quocumq́ modo

Opiniones erroneæ Epycuri & Lucretij

In Oratio.ad Nicoclẽ lib.10. de Repub.

modo infectas iuuentuti chimeras, ac nocentiā vitiorum ſemina obtulerunt, exquibus impios & turpes adoleſcentes mores combiberunt. Quòd ſi apud Ariſtotelē legimus, his fuiſſe pænam ſtatutam, qui populo ſpectādam pulchritudinis ſtatuam proponerent, perquam libido excitaretur; quantò magis eis pæna imponenda eſſet, qui hac impium Poetarum peſte, tabuliſq; obſcenis iuuentutis mentes inebriant. Quis non oculis fugiat, auribus reſpuat, mente perhorreſcat execrandū illud Cattulli dictū, deterrimāq; ſentētiā, qua poetā caſtum eſſe debere, carmina nō oportere eſſe pudica; impudenter aſſeruit? Quaſi verò, qui ardore libidinis flagret vi quadam furoris incendatur, ſemper de Venere cogitet, eaq; ad poeſim rapiatur, mentem pudicam aſſequi poſſit. Carmina verò de corrupto Catulli iudicio hæc ſunt.

Lib. 7. polyt. c. 7.

In Epygrāma. ad Aurelium Pathicum.

¶ Nam caſtum eſſe decet pium Poetam
Ipſum; verſiculos nihil neceſſe eſt,
Qui tunc deniq; habent ſalem & lepôrem,
Si ſunt molliculi, & parùm pudici.

Quod quantùm à Chriſtiana pietate abhorreat, videant, qui veram religionem & verecundiā

ani-

animo profitentur. Poeta fuit etiam Iuuenalis, ſed Catulo miruminmodum contradicit hoc modo.

¶ Nil, dictu fædum, viſuq; hæc limina tangat, Satyra 14.
Intra quæ puer eſt, procul hinc procul ite puellæ.
Lenonum & cantus pernoctantis paraſiti,
Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras. Nec tu pueri contẽpſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Vndè ita Poetas legamus oportet, vt quemadmodum apes ex ſingulis floribus, quod eſt ad mel conficiendum vtiliſſimum, atq; aptiſſimum libare, atq; depaſci conſueuerunt; quod eſt inutile nõ attingunt, aut certè non deguſtant: ſic nos ex Poetis Græcis & Latinis, aliiſq; ſcriptoribus profanis quæ ad religionẽ noſtram propagandam, atq; ornandã valere exiſtimemus, ea ſtudioſè ſeligamus; quæ repugnare ſentiamus, ea aut prætereamus, aut pœnitus repudiemus. Si verò aliquando impellente neceſſitate obſcenis verbis erit vtendum, circuitione honeſta, quantùm fieri poterit, turpitudinem detegemus, ac rem ſimplicem pluribus verbis circumſcribemus. Sic Teren-

Quomodo auctores profani legendi ſint.

tius rem turpiſsimam periphraſi explicuit honeſtiſsimè his verbis,

In Adelphi. Actio.2.ſce.4.

¶ Bono animo eſto, tu cum illa te intùs oblecta interim,
Et lectulos iube ſterni nobis, & parari catera,
Ego iam tranſacta re, conuertam me domū.

Et virgilius in Priapeis igne potiùs quàm lectione dignis, ad puerum.

Quod meus hortus habet ſumas impunè licebit,
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

Atque hoc verborum amfractu ſermo poterit tollerari. Cui non eſt longè diſsimilis Metaphoricus, licet minus honeſtus, rem enim explicat expeditiùs atq; liberiùs: Sic Oratius, cùm eſſet impellente natura procliuis ad libidinē, impuberis venuſtatem proteruam ac peruicacem ſignificauit, hoc modo.

Lib.1. Car. Ode.4.

¶ Nec tenerum Lyſidam mirabere, quo calet iuuentus.
Nunc omnes, & mox virgines tepebunt.

Lib.1. Offic.

Hinc Cicero acerrimè inuehitur in Cynicos Philoſophos, qui nihil turpe dictu putarunt, quod turpe factu non eſſet, iuxta vetus Græcorum prouerbium (quod Iſocrates reprehendit) quæ factu turpia

Orat.1.

turpia ſunt, eadem & dictu: Hinc Herodotus tradit apud barbaros Perſas, quæcumq́ facere fas non eſſet, neq́ dicere fas fuiſſe. Cynicorũ verò impudica ratio talis erat; nulla vox naturà turpis eſt, quæ vnà cum rebus ipſis naſcatur, & ſi qua eſt rei deformitas, quibuſcumq́ verbis ambiatur, ad intellectum tamen eundem nihilo minus perueniet; hoc modo (vt auctor eſt Ariſtoteles) Briſon argumentabatur. Sed hæc eorũ ratio ridicula ſanè eſt, non enim quibuſcumq́ verbis obſcena dicantur, eodem ad aures ſenſu ſtatim deferuntur. Quippè ita verba comparata ſunt, vt quædam propria ſint, & cum ipſis penè rebus nata, magis apta ad explicanda animi ſenſa, & res quaſi ob oculos ponendas; alia verò ſunt ſimilitudine quadam quaſi extorta, quibus cùm ad ſignificandum minor quædam uis inſit, non illicò ad intelligentiam audientium animos exuſcitant, ſed longa cogitatione detentos ſic alliciũt, vt ſignificationis quaſi varietate diſtracti facilè obliuiſcantur. Quapropter ſi neceßitate cogamur, rem fœdam & ſordidam ſignificare, verecunda vtemur periphraſi, neq́ ſimplicibus & apertis verbis dicemus, eo ad cacandũ, ſed vt locutus eſt Saluſtius, eo ad requiſita naturæ; & vt

Lib. 1. hiſtoriarũ

Cynicorum Philoſophorum impudica opinio reprehẽditur.

Lib. 3. Rheto. ad Theodec. c. de Elocutio.

Quo modo res obſcenę periphraſi verborũ detegantur.

In Iugurta. In vita Demetrij. *loquitur Plutarchus, quæ edentes & bibentes homines facere neceßitas cogit, me exagitat; vt rei turpitudinem honeſtiori loquendi formula operiamus. Hactenus de verbis natura repertis, nunc de figuratis agamus. Cùm enim oratio conſtet rebus & verbis, ſic figuræ communi voce, quædam ſunt, quæ verbis, quales ſunt dictionum Tropi; quædam quæ rebus, id eſt ſententiis ſubſeruiunt, qualia ſunt Schemata, quæ figuræ propriè nominantur. Nunc de verborum tropis agemus, qui pertinent ad parandum ſimplicium verborum delectum, de quo ſermo hactenus inſtitutus eſt. Tropus autem eſt dictionis à naturali propriaq; ſignificatione in alienam cum virtute mutatio, orationis ornandæ vel neceſsitatis cauſſa reperta; vt Demoſthenes Philippum magnitudine rerum geſtarum ebrium appellauit, vbi ebrium propriam ſignicationem non retinet.*

Lib. 9. c. 1. *Omnes verò (quos hactenus legerim) recentiores aliam ex Quintiliano deſumptam tropi diffinitionem ſecuntur dicentes: tropum eſſe mutationem dictionis ab eo loco, in quo propria eſt, in eum, in quo propria deſideratur; quæ diffinitio quàm ſit vicioſa, patet ex eo, quòd eo modo tropi non ornandæ orationis, ſed neceßitatis tantùm*

Refutatur recẽtiorum definitio. Tropi.

tum cauſſa eſſent reperti; & quandocunq; oratio non eſſet præciſa verbis, ſed exornata tropis, fieret ſemper propter natiuarum vocum ſimplicium defectum atq; inopiam. Sed Cererem pro frumento dicimus; id populus curat ſcilicet, pro minimè de his curat populus: O nauis referent in mari te noui fluctus, pro Republic. bellisq; ciuilibus: fontem ingnemq; ferebant, pro parte aquæ: in quibus nulla eſt mutandarum vocum neceſsitas, nec propter defectum propriarum aut inopiam, voces ex propria ſignificatione in alienam transferuntur. Non eſt igitur tropi diffinitio, mutatio dictionis è loco proprio in eum, in quo propria deſideratur. Neq; eſt quòd nobis obiiciant, dum tropos dicimus exornationis cauſſa repertos, id tantùm figuris conuenire, in quo ſi cum eis tropi conſentiant, & nomen & naturam eandem retenturos: ducto enim à definitione argumento (quod ad confirmandum ſimul & refellendum valere plurimùm ipſa nos Philoſophia docuit) neceſſariò conuincam, tropum & figurã non exiguo diſcrimine ſeparari; hoc iacto, tãquàm fundamento, logico axiomate: à quocũq; remouetur definitio aberit & res quæ definitur: Sed neq; diffinitio figuræ cõuenit tropo;

neq; tropi diffinitio figuræ; ergo figura & tropus idem eſſe non poterunt; propoſitio vera eſt; aſſumptio probatur. Figura eſt confirmatio quædã orationis à communi loquendi conſuetudine omnino remota; ſed dictionum tropi à Rehetoribus (qui Poëtis, Oratoribus, & Hiſtoricis in vniuerſum præcipiunt) decem ſtatuuntur, Methaphora, Allegoria, Metalepſis, Epytheton, Onomatopeia, Sinecdoche, Methonimia, Anthonomaſia, Catachreſis, Ironia; qui omnes poſiti ſunt in ſignificationis, dictionisq; permutatione, in quibus ſingula verba, alia pro aliis ponuntur; ergo non erunt figuræ, ſed tropi. Propoſitio vera eſt, firmiſſima reddetur illatio & conſecutio, ſi aſſumptionem in Anthonomaſia, Onomatopeia, Epytheto, Metalepſi, Allegoria probetur, nam in reliquis dubium eſſe non poſſe, omnes in vniuerſum conueniunt. Anthonomaſia eſt, cùm commune nomen mutata ſignificatione in proprium transfertur, hinc fit, vt pro philoſopho non ſapientiæ ſtudioſum, ſed Platonem, aut Ariſtotelem intelligamus. Onomatopeia eſt nominis fictio, eorumq; loco ponitur, quibus vteremur, ſi ſua eſſent rebus impoſita vocabula, vt Bombarda pro ſignis æneis. Epytheton, & inter figuras numeratur, & inter

& inter tropos, nam plerumq; cognatum eſt Antonomaſia, ſed Antonomaſia tropus eſt, erit igitur & Epytheton tropus. Metalepſis eſt, cum dictio è propria ſignificatione in aliam trāsfertur; vt poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas; vbi ariſtæ non propriam obtinent ſignificationem. Allegoria & verbis cōſtat, & rebus, frequēter enim (vt ait Quintilianus) tropus & figura in eaſdē ſignificationes coeunt; vnde verba illa Oratij: O nauis referent in mare te noui fluctus; diuerſam habent ſignificationem, quā ipſa verba propriè accepta ſignificant. Ex quibus modò conſecutio rectè inferetur: ergo omnes propoſiti modi inter tropos erunt numerandi, & falli omnino, qui eos perperàm ad figuras retulerunt. Quæ ſanè illatio ex mutationis etiam diuiſione propriæ ſignificationis apertiſsimè colligi, confirmariq; poterit. Omnis mutatio nominis fit ex communi in proprium, ex proprio in fictum, ex effectis in cauſas, ex cauſis in effecta, ex ſimili in ſimile, ex multis in vnum, ex falſo in verum, ex ſubiectis in adiuncta, ex adiunctis in ſubiecta, ex oppoſitis in oppoſita, ex comparatis in comparata, ex toto in partem, ex parte in totum: Sed omnes hæ mutatæ dictionis formæ, prædictis comprehendun-

Lib.11. c.1.

Lib.1. Ode.14.

tur. Erunt igitur omnes tropi. Verùm hæc illis omittamus, qui ea leuiter & inutiliter ad ingenij oſtentationem potiùs quàm ad aliquem doctrinæ vſum exactiùs diſceptare voluerint, & ad troporum diſputationem noſtra conuertatur oratio; nihil enim refert quo appellentur nomine, ſi quæ ſit eorum vis, quis vſus, & vtilitas appareat. Quamuis tamē Rhetores, quas recenſuimus omnes troporū formas tradiderint, vt Poetis (quibus earū vſus eſt frequentiſsimus) cumulatè ſatisfacerent; nos qui Hiſtoricum anguſtiori lege formamus, eos tantū tropos præſcribemus, quibus puriùs narrationem illuſtret. Erunt autem Methaphora, Antonomaſia, Epitheton, Methonimia, & Ironia, de quibus ordine hoc loco agemus.

Quid ſit Methaphora & qualis eſſe debeat eius vſus.

Methaphora eſt tropus dictionis, quo vox propter ſimilitudinem à propria ſignificatione in alienam transfertur, quæ leporē & ornatū orationi adfert; latinè tranſlatio dicitur, vt adamantinum pectus, ferreus animus, pro eo, qui flecti & deterreri non poteſt. Methaphoræ vtilitatē oſtendit Quintilianus his verbis;

Lib. 8. c. 6.

Inter tropos lōgè pulcherrima eſt tranſlatio, quæ quidem ita eſt ab ipſa nobis conceſſa natura, vt indocti quoq; ac nō ſentientes ea frequenter vtantur; tū ita iucunda

atq;

atq; nitida, vt in oratione qualibet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neq; enim vulgaris eſſe, nec humilis, nec inſuauis, rectè modò aſcita ſit, poteſt. Copiam quoq; ſermonis auget permutando, aut mutando, quæ nõ habet, quodq́; difficillimũ eſt præſtat, ne vlli rei nomen deeſſe videatur. Grata eſt certè in oratione methaphoræ varietas, dignitas magna, ſi rectè venuſtèq; vſurpetur. Quis enim non probet illud Maronis, qui apiũ quaſdã reges, quaſdam quirites nominauit, & cùm ſobolem ſignificare velit, populi nomen grata ſimilitudine mutuatur.

¶ Sin autẽ ad pugnã exierint (nã ſæpe duobus Lib. 4. Georgi.
Regibus inceßit magna diſcordia motu)
Continuòq́; animos vulgi, & trepidãtia bello
Corda licet longè præſciſcere. &c.

Longißimis enim verſibus fingit eas Romanorũ more bellicoſas, vt ſedem propriam, & Rempublicam vel magno periculo tueantur. Sic Cato Siciliam cellam penariã Reipub. & plebis Romanæ nutricem, & Cicero vetus ærarium nominarunt. Actio. 4. in ver. *Ita varius eſt methaphoræ vſus, vt duci cõmodè poßit ex orbibus Cæleſtibus, ex elemẽtis naturæ, ex corporibus animatis, ex beſtiis rationis expertibus, ex hominibus, fluminibus, metallis, ac nihil de*

niq;

niq; ſit, ex quo nõ appoſitè genuina, ac propria ſignificatio in minus propriã transferatur. Nos eas tantũ deflexiones recẽſebimus, quæ vſu frequẽtiores occurrũt: prima eſt, quoties vox è propinquis rebus ad minus propinquas, proximas tamẽ deflectitur; vt ſunt tranſlationes, à ſenſibus, ad animũ; vel ab his, quæ cadunt ſub ſenſum, ad ea, quæ intellectu percipiuntur: Sic viſus ſenſuũ nobiliſſimus poteſt ad animũ transferri; vt video Rempublicã periculis vndequaq; obnoxiam, pro intelligo; proſpicere, pro coniicere ſic accepit Syrus Terentianus: Iſthuc eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt videre, ſed quæ futura ſunt proſpicere. Oculus ad mentem ita transfertur, voluptas, & effrenata libido mẽtis oculos perſtringit, nec vllum habet cũ virtute commertium. Audire ponitur aliquando pro obtẽperare, aliquando pro fidem habere, aliquãdo etiam pro ſuſpicari, & ſimilibus; vt audio parentibus id eſt obedio, audio, ſed caue ne me decipias, id eſt fidẽ habeo, audio quid velint iſtæ lachrimæ, id eſt ſuſpicor; ab odoratu, Terentius: Olfacio quid ſibi velint quòd toties hàc pertranſeant, & torue iſthuc oculos coniiciant, id eſt deprehendo, ac cognoſco. Demea apud eundem; Priùs olfeciſſem, quàm ille quicquàm caperit;

In Adelphi. actio. 3. ſcena 4.

In phormio. act. 4. ſce. 1.

perit;& nunquid patri ſubolet? Ab his, quæ ſunt corporis ad animum plerunq́; voces transferuntur, vt quando dicimus, candor animi tui, ſplendor mentis, acumen ingenij, obtuſum intellectũ, cæcum iudicium, rationẽ imbecillam, & pleraq́; alia, quo modo nihil eſt vſitatius, nihil antiquius apud Hiſtoricos, omneſq́; alios ſcriptores. Plerũq́; fit tranſlatio ab animali rationis experte ad animal rationis particeps, vt ſi dicamus Oratorem latrare. Terentius, quid ille gannit? ex equo Cicero in Piſonem; ſic ad illius hanc orationem adhinnit, vt non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illum inuentum eſſe arbitraretur. Quandoq́; ipſummet bruti animantis nomẽ vſurpamus, vt quãdo appellamus aliquem, cæcũ & ſtupidũ talpam, rapacem lupum, crudelem tigridem, fortem leonem, mitem agnũ, fraudulentum vulpem. Hoc modo adulatorem dicimus canẽ, laſciuum ſimiam, libidinoſum hircum, ſalacem paſſarem, loquacem graculum, timidũ leporem. Sic ait Mitio Demeæ apud Terentiũ: tu autem huic (Aſine) auſcultas: & Cicero Piſonẽ ſic inſectatur: iſtius impuriſsimæ, ac intẽperatiſsimæ pecudis cæno, & ſordibus inquinauit: & infra: quid nunc te (Aſine) litteras doceam, non opus eſt

In Adelphi. act. 5. ſce. 8.

eſt verbis, ſed fuſtibus. E contrario fit plerunq; mutatio, vt quando leonem appellamus ſuperbum, vulpem perfidam, formicam parcã & prouidam, canem aſſentatorem, apes Quirites, delphinum falſum, luſciniam facundam, dipſadem ſontem, agnum mitem. Frequentiùs tamen ſumitur methaphora ab epythetis, eleganter enim dicemus aſperum hominem, ferreum agricolam, feruentem iuuenem, florentem puerum, gelidum pectus. Et ab animali tranſlatio quoq; ducitur ad non animal, vt prata rident, exultãt ſegetes, admirantur ſylua, parietes locuntur, flumina currunt, ſitiunt campi. Epitheton quoq; ipſum transfertur, vt iratum mare, minax tempeſtas, indignatus Araxis, raucus amnis, mite amomũ, nuntius noctis Heſperus, Iris Iunonis nuntia; cuius generis exempla ſunt frequentiùs obuia, quã vt in eis ſcribendis tempus conteratur. Sumitur etiam methaphora ab inanimato ad inanimatum; poteſt enim vocabulũ rei alicuius propriũ, aliqua ſimilitudine transferri; in his autem oportet iudicium adhiberi, ne rem verbis impropriis efferamus: quidam enim cum propriam & genuinã rei vocem ignorent, methaphoricam venantur, qua oratione obſcurã implicitamq; reddunt.

dunt. Iudicio ergo, prudentia, ſtudio, arteq́ opus eſt, vt tranſlationes iſtæ gratiam, & ſplendorem in oratione habeant; vt ſi quis ſyluam ſcatere dicat, quod eſt fontium proprium, orationem fluere, quod eſt fluminum; fluctus vndaſq́ negotiorũ, quæ ſunt pelagi; anſam prorrigere, id eſt occaſionẽ præbere, quod eſt amphoræ. Reciproca quoq́ & mutua poteſt eſſe metaphora, quæ communis dicitur; fit verò quandò duæ res appoſitè transferuntur, vt ſi dicamus pro gubernatore aurigam, & è conuerſo pro auriga gubernatorem; altũ mare, cælum profundum: cum maiori ex parte vnius dumtaxat verbi eſſe ſoleat tranſlatio, vt fluctuare ſegetes rectè dicimus: non eodem modo fluctus ſegetare; & videre pro ſentire probè ad animum transfertur, non ita ſentire pro videre dicemus; non poſſum hanc difficultatem attingere, pro ſcire eleganter dicetur, ſcio verò verbum non ita ad corpus transfertur; neq́ enim dicemus, onus hoc ferre neſcio, nec vt mucro gladium notat, ſic mucronem gladius oſtendit: quod tradit elegantiſſimè Quintilianus. Translatione itaq́ vtimur aliquando neceſſitatis cauſſa, ſæpe enim vox propria deſideratur (vt ait Fabius Quintil.) Et tunc inopia propriæ vocis cogimur per ſimilitudinem

Lib. 10. c. 1.

Lib. 8. c. 2. & 3.

tudinem alias voces mutari, vt quando dicimus luxuriare ſegetes, prata ridere, potare vites, expurgare vineam, neq; enim voce alia id ita ſignificare poſſemus; vnde initio, vbi propria deerāt, natura peperit tropos. Transfertur vox prætere a, vt ſignificantius aliquid exprimatur, vt in-
1.Tuſcu. *cenſus ira, inflammatus cupiditate, Cicero: Omnes incenduntur ad ſtudia gloriæ. Tranſlatione etiam vtimur, quando orationis ornatum quærimus, ad quem illa pertinent, lumen orationis, eloquentiæ flumen, generis claritas, virtutis ſplē-*
In Oratio. pro Milo. *dor. Hinc Cicero Clodium gloriæ fontem vocauit. Idem, has publicas peſtes ſociorum, militum*
De prouinciis Conſul. *clades, publicanorum ruinas, prouinciarum vaſtitates, imperij maculas teneretis. Idem; hic tu*
In Somnio Scipio. *oſtendas oportet patriæ, lumen animi, ingenij, conſiliiq; tui. Vtimur etiā methaphora, ad grauitatem, ad euidentiam, ad ſublimitatem, ad feſtiuitatem; ex quibus manifeſte elicitur, eam, quam ſupra improbauimus troporum diffinitionem (quā recentiores ſecuntur) mancam & im-*
Quot modis vſus metaphoræ eſſe poteſt vicioſus. *perfectā extitiſſe. Vicioſa autē erit tranſlatio, ſi fuerit nimis dura; qualis fuit illa Solonis, qui interrogatus, quidnā eſſet lex, reſpōdit araneæ telā; eo quod videret potentes, & diuites, nullis legi-*

bus pu-

bus puniri, in pauperes verò leges diligentiſsimè obſeruari: vt fieri ſolet in araneæ tela, quæ ſi quid leue eſt, retinet, validum verò ſi quid fortè inciderit, reciſſa tela pertranſit. Ita Chilo vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus grauis, & prudens Philoſophus, interrogāti quidnam eſſet fortuna, reſpōdit cæcus medicus; quòd omnes, qui ſe illi committerent, excæcaret. Quod ſi aliquandò neceſsitate impulſi duriuſcula vtemur methaphora, his formulis loquendi eius duritiem quodammodo tēperabimus; vt ſic loquar, vt ita dicam, vt ſic mihi liceat loqui. Vitioſa etiam erit ſordida methaphora, vt luxuriare ſegetes; Rempublicā Caſtratam eſſe morte Camilli, & illa Virgilij ſimilitudo.

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes. Ecelog. 1

Quantū lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Et Terentianum illud: arrige aures Pamphile; quæ cùm ad ſordidum, tùm ad obſcenum intellectum, audientium animos exſuſcitant. Vitioſa quoq; erit, ſi fuerit maior, quàm oporteat, vt puer ferreus in ſtudiis, maior ſignificatur durities, quàm vt de tenera pueri ætate credi poſsit; meliùſq; & elegantiùs diceretur aſsiduus in ſtudiis. In Andria actio. 5. ſcena. 4.

diis. Vitioſa præterea erit diſsimilis, cùm laus methaphoræ in eo potiſsimùm cernatur, quòd cum re, cui accommodatur, aliqua affinitate & ſimilitudine copuletur; qualis illa fuit Ennij, qui cælos fornices appellauit. Vitioſa tandem erit, ſi fuerit crebra, aut ſi multæ ſimul tranſlationes repetantur: nam vt temperatus methaphoræ vſus lucem, & ornatum orationi ſolet afferre, ſic etiam nimis frequens faſtidium parit, tenebraſq; infundit. Adde etiam, quod plerunq; eſt laude dignius atq; præſtantius, propriis vti vocabulis, quàm nimiùm formulis methaphoricis aſſueſcere. Quæ omnia methaphoræ vitia recenſet Cicero. De qua latè diſſeruimus, quòd non exiguam latinæ elocutionis partem methaphora ſibi vendicare videatur. Antonomaſia eſt nominis permutatio, vt ſi pro Achille Pelidem dicas; pro Iunone Saturninam; fit multis modis, primò quando patronimicum nomẽ pro proprio ſumitur, vt Anchiſiades pro Ænea; Saturnus pro Ioue; Peneia pro Daphne; quod poetis frequentiſsimum eſſe ſolet, oratoribus rarum: quippè ſemel tantùm legimus, Ciceronem ſic fuiſſe locutum. Præclara meherculè vox, & digna Æcidarum gente ſententia: Hiſtoricis omnino inuſitatum.

Lib. 3. de Orator.

Quid ſit Antonomaſia & quàm varius eius apud auctorés vſus.

Lib. 10. Hiſt.

tatum. Secundò quando vniuerſum nomen ac vox communis pro propria ponitur per quandam excellentiam, vt Poeta inter gracos pro Homero; inter Latinos, pro Virgilio; ſic Orator inter Latinos pro Cicerone; inter Gracos pro Demoſthene; Apoſtolus in ſcriptura ſacra pro Paulo, ſapiens pro Salomone. Tertiò quando pro communi ponitur proprium, vt Creſus pro diuite; Numa pro religioſo; Tarquinus pro ſuperbo; Nero pro tyranno; Heliogabalus pro prodigo; Vlyſſes pro fraudulento & fallaci; Hercules pro forti; Ceſar pro magnanimo; Cato pro ſeuero; Grachus pro furioſo; Lelius pro leni & placido; Phalarides pro crudeli; Craſſus pro locuplete; Policrates pro fortunato; Annibal pro vafro; Heroſtratus pro ambitioſo; Dedalus pro ingenioſo; Icarus pro audaci; Hector pro prudenti; Oreſtes prō inſano; Tantalus pro ſitienti; Irus pro inope; Codrus pro paupere; Cecropus pro generoſo; Sardanapalus pro effœminato, & molli; Venus pro pulchra; Diana pro intacta virgine; Ariſtides pro iuſto, & incorrupto; Zoilus pro inuido; Momus pro mordaci; Epicurus pro voluptatibus dedito. Quartò quādo patria nomina pro propriis vſurpantur, & vt dialectici locūtur, denomina

tiua; vt Mantuanus pro Virgilio; Arpias pro Cicerone; Cyprides pro Venere: quæ aliquando vt attributa ponũtur, vt Siculus pro ingenioſo; Pigmeus pro paruulo; Parthus pro feroci; Cretenſis pro mendaci; Pænus pro perfido; Scytha pro inhumano; Græcus pro aſtuto: aliquando etiam ipſa virtutum ac vitiorum attributa pro propriis ſumuntur; vt pius pro Ænea; adulter pro Paride; non rarò æpitheta, quæ ex factis tribuuntur, pro his, quibus tribuuntur, vſurpamus, vt, quãdo pro Scipione Numantiæ, aut Cartaginis expugnatorem; pro Annibale Sagũti euerſorem dicimus; Troyani belli ſcriptorem dixit Oratius, pro Homero; domeſticum latrocinium dixit Cicero pro coniuratione. Quintò cum dignitatis nomen ſumitur pro proprio; vt Romanæ eloquentiæ parens pro Cicerone; Academicæ familiæ princeps pro Platone; Peripateticæ diſciplinæ auctor pro Ariſtotele; rigidus morum cenſor pro Catone; Stoicæ familiæ pater pro Zenone; voluptatis deffenſor pro Epicuro. Sextò cùm diffinitio ponitur pro diffinito; vt ſciẽtia æqui, & iniqui; vel rerum rectè adminiſtrandarum cognitio, pro Iuriſprudentia; ars differendi, pro Dialectica, vilis efferueſcens, pro ira, Ouidius.

Nec

Nec leuis ambitio, perfuſaq́ gloria fuco. Pro ambitione:

Magnarũq́ fames ſollicitauit opũ. Pro auaritia. Septimò, quandò ponitur Ethymologia (quæ vocis rationem ſubtiliter explicat, eiuſq́ originem accuratè perquirit, vt Fabius ait: ac ideo à Cicerone nominis notatio dicta eſt) vt os aureũ, pro Chriſoſtomo, ſapientiæ ſtudium pro Philoſophia: ſapientiæ ſtudioſus pro Philoſopho, quod de meo fit tuum pro mutuo, homo cibo ventriq́ deditus pro Paraſito. Vltimò, cù aliquod inſigne dictum, aut elogium, aut apophtegma, vel ſtratagema, opinionem etiam aliquam, vel ſententiam loco dicentis collocamus, modò non obſtruſa ſint, atq́ recondita, ſed præſtantiſsimis quibuſq́ auctoribus frequenti vſu recepta: vt ſi ita dicamus, qui Socratem dixit ſtupidum, libidinoſum, & bardum, quòd iugula concaua nõ haberet, intellexit Zopirum: qui manui in pugnum contractæ Dialecticam dilatatæ & extentenſæ ſimilem eſſe Rethoricam dixerat, Zenonem ſignificauit. Laudabitur Antonomaſiæ vſus, ſi nomina dignitatis, & Epytheta communia emphaſim quandam contineant, ſi diffinitio ſit breuis, patria non obſcura, notatio non

Lib. 1. c. 6. in topicis.

perplexa, ne in Pariſologiæ vitium incidamus, & ſi dictum, aut elogium, non dubio auctore com mendetur: Ethymologiam admittant ſæpius Poe ſis, & Oratoria, quàm Hiſtoria, quamuis aliquã do vſus eius neceſſarius eſt, veluti, quando res, quæ narratur, interpretatione indiget; vt magis reddatur perſpicua, ac dilucidior narratio efficia tur. Epytheton, vt ait Flauius Soſipater, eſt dictio proprio nomini præpoſita, ornandi, aut deſtruendi, aut indicandi cauſſa: ornandi, vt Hercules luſtrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor: Antonius eloquentia, grauitate, honore florentiſſimus, ſeueriſſimus, atq; integerrimus Iudex: deſtruendi, vt ſcelerum inuentor Vlyſſes, malus ac pernicioſus ciuis, improbus conſul, ſeditioſus homo: Indicandi, vt Lariſſæus Vlyſſes. Epytheti ſpecies eſt Scheſiſonomaton, quod latinè dicitur nominum habitudo, id eſt, cùm ſingulis quibuſq; verbis ſingula tribuũtur epytheta, vt nõ peſtilentem inuidiam, non fauorem fragilem, non fluxas opes, non vanos honores ſequimur, non populi auram mobilem, non vulgus infidum bonis, ſed eximium virtutis decus ſectamur. Epythetorum verò inſignem copiam, res ipſa de qua agi tur, & propè verba ſingula ſuppeditant. Siquidẽ ab anima commodè ſumentur epytheta, vt Pla

Quid ſit Epythetõ & quot modis orationem exornet.

to Philoſophorum ſapientiſsimus, Ariſtoteles fideliſsimus naturæ interpres. A corpore, Terſites Græcorum deformiſsimus, pulcherrimus Democles, Flauus Achilles. A bonis externis (quæ à fortuna proficiſcuntur) epytheta appoſitè deducuntur, vt ab opibus, viribus, patria, rebus geſtis, euẽtibus. Ab opibus, vt Creſſus regum opulẽtiſsimus, Craſsus Romanorum ditiſsimus: à viribus, Milo Athleta fortiſsimus, Hercules robuſtiſsimus: à patria vt Archita Tarẽtinus, Gorgias Leontinus, Orphæus Camerinus, Andreas Panormitanus, Empedocles Agrigentinus, Pythagoras Samius, Thymæus Locrus: à rebus geſtis, vt monſtrorũ domitor Hercules, ab euentu, vt his capti Phryges. Quãdoq; verò loco proprij nominis ſubiiciuntur, ſic Liuius pro Annibale, pœnũ dixit, & Virgilius: Thalamoq; fixa reliquit impia, pro Ænea. In Epythetis autẽ quoties adhibendi ſunt, curare diligenter oportet, vt ſint peculiaria, vulgata, & à probatis auctoribus frequenti vſu recepta, & vt proprietas quædã attribuatur, non perſonis tantùm, ſed etiã rebus: vt origo malorũ otiũ, ſolicitus amor, patiens laboris iuuentus, impatiens moræ ſenectus, pallida mors, & id genus alia. Nulla certè res ad ornandam & augendam orationem

 illu-

illuſtriùs accõmodatur, quàm Epytheton, quod non in perpoliendis verbis ſingulis tantùm habet pondus, & lepôrem: ſed etiam in illuminandis explanandiſq; ſententiis, eſt enim in dictione adiecto Epytheto quidam color, ac quaſi ſplendor, qui efficit, vt talis narratio, qualem videri cupimus, omnibus appareat. Modò enim nomen cui præponitur ornat, vt eximia ſcientia, ſingularis virtus, inuſitata clementia, clariſsima auctoritas, egregia fortuna: modò laudat, vt eloquentium iuriſperitiſsimus Craſſus, iuriſperitorum eloquentiſsimus Seruilius: modò exprobrat, vt genus hominũ varium, mixtum, & turbulentum: modò terrorem incutit, vt ſentient nefarij ciues, in hac vrbe eſſe vigilantes conſules, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem ſenatũ, eſſe victricia arma, eſſe carcerem ſceleratorum vindicem: Item, vnuſquiſq; rebus ac fortunis ſuis modo proſpiciat, nam bellum inſtat Turcarum poſt hominum memoriam maximum, & crudeliſsimum: modò emphaſim habet, & pondus ad integram ſententiam explanandam, vt

In.2.Catil. *Cicero, erunt qui illum (ſi hoc fecerit) non improbum, ſed timidum, me non diligentiſsimum conſulem, ſed crudeliſsimum Tyrannum exiſtimabunt.*

mabunt. Poſtremò oratio epythetorum appoſitione exuberans, & multùm delectat, & auditorem ducit quò volumus, valet enim non ad ornatũ, & dignitatem ſolùm, ſed etiam ad miſericordiam, ad odium, ad inuidiam, ad commendationem: denique non minimam eloquentiæ partem ſibi vendicat: nam ea quæ dicimus, & præſtantiora, & maiora & ſplendidiora reddũtur, cùm illo epythetorum apparatu proferuntur. Cuius quidem vſus tantò erit celebrior, tantò maior, eius ſublimitas, magnificentia, nitor, & auctoritas, quantò vnuſquiſq; magis rerũ proprietates, diuerſa hominum iudicia, illuſtreſq; partes intelligat, præcipue regum ac principum, quæ latè in hominum genere patent. Quomodò enim Pontificem appellabimus, niſi maximum, aut ſanctiſſimum adiecerimus? Quomodò Chriſtianæ religionis Cardinales, niſi illuſtriſſimos dixerimus? Quomodo deniq; Regem alloquemur, niſi eũ Chriſtianiſſimum aut ſacratiſſimum nominemus? quibus ablatis nuda ac turpis maneret oratio. Non ſilebo, frequentiorem appoſitorum vſum eſſe apud Poetas & Oratores, quàm Hiſtoricos, his enim illi liberiùs multò vtũtur, quocunq; modo verbis, quibus adiiciuntur conſentiant. Vnde

paßim Poetæ vndifluum mare, pinguem lucernam, igneum fulmen, rapaces furias, gelidos fontes, & id genus multa vſurpant: ab Hiſtoricis verò prudenter hæc, & cum induſtria non leuiter aſſumuntur. Methonymia latinè transmutatio dicitur, eſt tropus quo, nomen pro nomine ornatus cauſa ſine ſimilitudine ſumimus, fieri ſolet multis modis: primo cùm inuentor rei, pro re inuenta ponitur, vt pro vino Bachus, pro libidine Venus, pro frumento Ceres, Mars pro bello, Cicero pro bello Martem ſic vſurpauit: quos amiſimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ; Mercurius apud Plautum: quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris? Vulcanum pro incenſo ellychnio ſumpſit. Tertiò cum Deos & heroes vel etiam plebeios, pro illa vi accipimus, quæ illis attribuitur, vt Venerem pro coitu, Cupidinem pro amore, Leonem pro maieſtate regia, Mineruam pro conſilio, & ſapientia, Mercurinm pro interpretatione & facundia, nam eum Græci (vt ex Diodoro Siculo conſtat) Deorum interpretē eſſe putarunt: Appollinem pro melodia, vocum dulcedine, concentu, & quadam decenti carminum peritia: Atem pro diſcordia, Proteum pro

Quid ſit Methonimia & quibus modis ea vtamur.

In Oratio. pro Mar. Mar.

In amphit. act. 1. ſce. 2.

1. Bibliothe.

Mercurius olim deorum legationes obierat.

pro mutabili, Plutonem pro diuite, Priapum pro ſalaci, & libidinoſo, Neptunum pro mari. Quartò cùm ſignum pro ſignato ponitur, vt ſceptra pro imperio, claues pro officio, toga pro pace, vt Cicero: Cedant arma togæ: vbi non intellexit togam, qua erat amictus, ſed quæ pacis erat ſignum, & otij toga: huiuſmodi fuit; contrahit frontem, pro admiratur: ſignum in fronte gerit, pro glorioſo. Quod ſi de mulieribus dicatur, inſignis pudicitiæ argumentum erit; nam Thraces olim pudicas mulieres in fronte notis quibuſdam, & ſignis obſignarunt, vt honeſtatis & pulchritudinis forma ſimul eluceret: Sic etiam dicimus extollit ſupercilium, pro intumeſcit. Quintò quando continens pro contento ſumitur, vt teſtis eſt huius mali Hiſpania, id eſt Hiſpani; hoc decreuit Cæſarauguſta, id eſt, Cæſarauguſtani decreuerunt. Cicero: teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor Lucius Sylla huius virtute, & conſilio, confeſſus eſt, fuiſſe liberatam: teſtis eſt Sicilia, quam multis vndiq; cinctam periculis non terrore belli, ſed celeritate conſilij explicauit: teſtis eſt Aphrica, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundauit: teſtis eſt Gallia, per quam legionibus noſtris in Hiſpa-

In Piſon.

Thraces olim vt pudicæ mulieres noſcerētur, in fronte ſignis adiectis obſignarūt

Pro. Lege Manil.

Hiſpaniam iter Gallorum interemptione patefactum eſt, teſtis eſt Hiſpania, quæ ſæpiſsimè plurimos hoſtes ab hoc ſuperatos proſtratoſq́; conſpexit. Sextò quando contentum pro continente ſumitur, vt Virgil. Vcalegon ardet, id eſt, domus Vcalegonis, qui modus rariſsimus eſt oratoribus, ſed rarior hiſtoricis. Septimò & poſtremò, quandò pro efficiente effectum vſurpamus, vt inuerecunda nox, hilaris adoleſcentia, triſtis ſenectus, pallida mors, quæ pallida dicitur, quia reddit homines pallidos, vnde Oratius.

AEneid. 2.

Lib. 1. Ode. 4.

¶ Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq́; turres.

Aut pro efficienti efficiens, vt Martialis.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Vt verò Methonimiæ vſus hiſtoricis permitatur, vel maximè commendetur, curandum eſt, ne ſigna vel longiùs repetantur, vel inepta ſint, vt ſi ebrium appellemus rubeum, aut liuidum dicamus pallidum, & ne per vinum Bachum, per frumentum Carerem, per coitum Venerem ſignificemus, quod Poetis quãuis rarò, aliquãdo tamen integrũ eſt: in reliquis modis hiſtoriarum

diligens

diligens habeatur ratio. Methonimia verò à multis Rhetoribus Hypallage dicitur; habẽt autem Poetæ hypallagem quandam ab hac omnino diſtinctam, hiſtoricis penitus fugiendam; ea eſt, quandò voces in oratione inuertuntur, vt date claſsibus auſtros, pro date claſſes auſtris. Antiphraſis eſt dictio è cõtrario ſignificans, veluti verbi vnius Ironia; vt ſi dicamus Regium vocari, qui regiis moribus careat; Lucium, qui minimè luceat: Parcas, quæ nemini parcant; Sic Cicero inuehitur in Verrem dicens, dictum eſſe à verre, id eſt porco nondum caſtrato; & aliter à verrendo Verrem nominatum; quòd cum eſſet quæſtor in Sicilia ærarium verreret, hoc eſt ſpoliaret; cõtrarium enim verbo dicimus, quàm quod ſenſu ſignificamus; dicitur latinè illuſio, quæ poſita eſt in pronuntiationis grauitate, quæ ſi abfuerit, confiteri videbimur, quod negare contendimus. Ad rem verò aliter quàm dicitur ſignificandam mirificè iuuant geſtus, & rei quæ pronuntiatur natura. Eſt & alia Ironia, quæ non tã in ſingulis orationis verbis, quàm in toto ſermone poſita eſt, fit quotieſcunq; id pronuntiamus, cuius contrarium intelligi volumus; & vt Quintilianus ait, cum diuerſum eius quod dicimus, intellectum

Quid ſit vocis illuſio & eius vſus qualis.

Lib. 6. c. 3.

In Eunucho. ad fin. *lectum petimus. Gnato Terentianus Thraſonem glorioſum militem ſic irridet: quid? iſti te ignorabant, poſtquam eis mores oſtendi tuos, & collaudaui ſecundùm facta, & virtutes tuas. Et Hegio:* In Adelphict. 3. ſce.5. *ille bonus vir pſaltriciam (ſi diis placet) parauit, ò ſalue bone vir, & ſimilia : Cicero quid ais bone* Iu ver- act. 7. *cuſtos deffenſorq; Prouinciæ? Caſtimonia Hyppolitum præſefert de adulterio. Virgil.*

¶ I nunc ingratis offer te irriſe periclis,
Tyrrhenas inſterne acies, tege pace latinos.

Solent autem ſcriptores Ironiam his particulis vſurpare, ſcilicet, verò, at, atuerò, ſanè, profectò, quaſi, nimirùm. Terentius, id populus curat ſcilicet. Virgil. In And.

¶ Egregiam verò laudē, & ſpolia ampla refertis.
Tuq; puerq; tuus.

Aencid. 4. *Augetur verò oratio per Ironiam hoc modo, non magnam laudem aſſecutus es, egregiam verò laudem es aſſecutus; non iſta curat populus, id populus curat ſcilicet; eſt indoctus, ò ſingularem hominis ſapientiam; quomodo per Jroniam & exclamationem variatur orationis color; nam ſæpe in vnam ſententiam plures figuræ incidunt. Probatur*

batur maximè Ironiæ vſus, ſi ea adulemur, ſi laudis ſimulatione detrahamus, ſi contrarium ad maiorem exprobrationem, & contumeliam magis augeamus; Cicero: Tum iſte vir optimus vereor nè derrideri poßit, quòd dico vir optimus. Refertur ad Ironiam Aſtyſmus, qui eſt venuſta cũ ioco vrbanitas, ruſticana tamen ſimplicitate carens; Virgilius.

Pro P. Quintio.

¶ Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,
Atq; idem iungat vulpes, & mulgeat hircos

In Bucco.

Catachreſim, Allegoriam, & Onomatopeiã libenter conſultòq; prætereo, quòd hiſtoriæ deſcribendæ earum vſus inutilis ſit. Catachreſis ſiquidem, quæ latinè dicitur abuſio, res impropriè rebus accommodat, quemadmodum docet Quintilianus, vt ſi ſeuerum hominẽ dicamus crudelem, cũ vitium ſit crudelitas, ſeueritas virtus; prodigũ liberalem & magnificũ; vafrum ſapientẽ; confidentẽ fortẽ auarũ rei familiaris cuſtodem vel è contra; parcũ; auarũ; cum parſimonia virtus ſit, & vitiũ auaritia; eloquentem loquacem; humilem abiectum; remiſſum negligentẽ; ſolertẽ cupidum; quietum ignauũ ac vecordem; diligentẽ & pium ſuperſtitioſum

Qui tropi inutiles ſunt hiſtoriæ & quarè.

Lib. 8. c. 6.

& ſic

& ſic alia: quæ vicinarum vocum abuſio turpiſſima foret hiſtorico, in quo orationis perſpicuitas rerumq; veritas cōmēdatur: ſunt enim vitia virtutibus adeo proxima, vt ſæpe pro eis ab his, qui vtrorumq; naturā nō probè dignoſcāt, facilè ſuſcipiantur; vt cōtra ſunt vitia virtutibus adeò propinqua, vt media ſimilitudine in vtriſq; conſpecta, plerūq; vulgus decipiatur, eiſq; ſæpe viciſſim mutuòq; abutatur: & non rarò ſciens atq; conſultò ad obtrectationē retorqueat. # *Onomatopeia verò (quæ eſt nominis fictio ad ſimilitudinē eius rei, quam ſignificare volumus; vt Euohe, Baubatus, ſibulus, arcabuZium, taratantara, mugitus) quid inſolentius in dilucida elegantiq; hiſtoria videri poſſet? Quid porro turpius, quàm, quod etiā docet Onomatopeia, nouas voces deriuare, & deducere, ex inepta quadā analogia & ſimilitudine, quæ barbarā non latinā orationem efficiunt? vt quia dicimus ex philoſophia philoſophari, ſic ex poeſi poetare, & græcari, & rhetoricari dicamus; & ſicut dicimus vileſcere, & areſcere, ita dicamus ſicceſſere, ſubiraſceſſere, grādeſcere, & vt laureati, & barbati, ita ſcutati, pileati, perſonati, galeati: Sic doctiſsimū dicimus; piiſſimum latinè dici negat Cicero.* Philip. 13. *Vt igitur perſpicua*

picua ſit hiſtoriæ narratio, huiuſmodi tropus fugiendus erit, & eam tantùm ſequemur orationis formam, quam elegans Ciceronis ætas probauit; nam ſi nulla vox recepta, quam tutò imitari poßimus, inueniatur, tutius eſſe crediderim tacere, quàm ridiculas voces cogitare, ne iure in eam reprehenſionē incurramus, in quam Ludouicus Viues, & Paulus Iouius inciderūt, qui huic tropo maximè addicti, quàm plurimas voces turpiter, ac ridiculè inuenerunt. Allegoria etiā periculoſa eſt hiſtoriæ, nam perpetua eſt metaphora, inuerſionē latinè vocat Quintilianus: Vocū autē inuerſio ferè ſemper obſcuritatē parit, & tranſit facilè in ænigma, quale fuit illud Virgilij. Lib.8. c. vlt.

¶ Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo. Æglo. 3.

Tres pateat cœli ſpatium non ampliùs vlnas.

Quam loquendi rationē vitium dicit Quintil. eo quod dilucido, perſpicuoq́ ſermoni opponatur. Ad hāc referuntur prouerbiales ſentētiæ, & paremiæ non paucæ, quæ quandā præſeferunt allegoricam ſimilitudinē, vt Alpha, & Omega, id eſt initiū, & finis: Palinodiam canere, id eſt conſiliū in melius commutare: Rem obſcurā Platonicis numeris ſignificamus: Ingenioſam, ſed à veritate

 alienam,

alienam, Ideas Platonicas dicimus: tardam plenitudinem, per Phrygum ſeram ſapientiam eludimus: vino vendibili ſuſpenſa hedera nõ eſſe opus dicimus, pro res præclara commendatione non indigent. Illud tamen obſeruatione digniſsimum eſt, laudabilem eum eſſe Allegoriæ vſum, qui in Sacræ Scripturæ ſententiis frequẽter poſitus eſt, quo pulcherrimè ac ſanctiſsimè per allegoriam Orthodoxi fidei noſtræ patres res diuinas tractauerunt: de qua re exactè diſſerere, non eſt huius loci, cùm altioris negotij, & expeditioris ingenij ſtudium requirat. Iam verò vt inſtitutæ de vocibus ſimplicibus diſputationi, finem imponamus, quomodo eis copia paretur, videamus. Simplicium verborum copia, & varietas acquiretur, ſi adhibeatur diuerſorum non prorſus idem ſignificantium cumulus quidam venuſtus, & grata congeries; vix enim duo verba adeo Synonima reperiuntur, quin aliquo interſe modo diſsideant. Cicero ſic verba idem ferè ſignificantia ad copiam cumulauit; ò Clementiam admirabilem, atq; omnium laude, prædicatione, literis, monumentiſq; decorandam. Et paulò inferiùs: Quid enim Tubero Tuus ille districtus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat

Congeriе lectiſſimorũ verborũ quomodo augeatur oratio.

Pro Quinto Ligario.

erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? vbi aliis atq; aliis verbis ſimplicibus orationem amplificauit. Simplicia enim ſunt laus, prædicatio, literæ, monumenta, gladius, mucro, arma, agebat, petebat, mens, oculi, manus, ardor, cupiebas, optabas. Idem pro Milone: eſt hæc iudices non ſcripta, ſed nata lex, quam nō didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreßimus. Et paulò inferiùs: propugnator ſenatus, deffenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus. Vbi propugnator, deffenſor, & patronus idem ferè ſignificant, nā ſi inter ſe nihil dißiderent, vel omnino idē ſignificarent, nullum orationi ſplendorem exhiberent, ſed Taphtologicum, id eſt nugatorium, & affectatum ſermonē redderent. Valet autem plurimùm verborum ſimpliciū congeries ad vehementiam orationis, maioremq; vim exprimēdam; Cicero: Abiit, erupit, exceßit, euaſit. Idē; omnia diuina atq; humana violarunt, perturbarunt, euerterunt. Et Geta ardens iracundia, irā ſic euomit; cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem. Valet quoq; ad rem magis augendam, atq; confirmandam: Hegio

In 2. Catil. Pro P. Sextio. In Adelphi. Act. 3. ſce. 2.

In Adelphi. actio.5.ſce. 4. *ſic ſuam Demeæ pollicetur operam: Quæ propter nitar, faciam, experiar, deniq́ animam relinquam, potiùs quàm illas deſeram. Et Demea ſic ſuam auget miſeriam: ego ille agreſtis, ſæuus, triſtis, parcus, truculentus, tenax, duxi vxorē. Cicero: Hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur, exterminabitur, eiicietur. Quibus omnibus exēplis aucta videtur oratio verbis ſimplicibus idem ferè ſignificantibus. Valet præterea ſimplicium verborum incrementum, atq́ congeries, ad declarationem ampliorem, & ad vnam eandemq́ rem neceßitate crebriùs repetendam, & ad id quod mente concepimus concinniùs, & appoſitiùs proferendum: ſunt enim verba alia aliis (quamuis idem ferè ſignificent) vehementiora, nitidiora, ſublimora, iucundiora, & magis cōcinna; vt vberè ſatis Cicero, & Quintilianus, docuerunt. Congeries verò verborum Græcè dicitur Polionymia, id eſt orationem locupletandi ratio ſanè ſimplicißima, quæ diuerſis nominibus eundem omninò ſenſum exhibet, & rem eandem pluribus declarat, ita vt ad ſignificationem nihil referat, hoc, an illo magis vtamur. De Polionymis Fabius, quamuis minùs propriè Sinonyma vocauerit, ita ſcripſit.*

pro Milone. in partitio.orat. Lib.8. c. 3. Lib. 10. cap.1.

Sunt

Sunt autem alia huius naturæ, vt idem pluribus vocibus declarent, ita vt nihil ſignificationis, quo potius vtaris, interſit, vt enſis, gladius, mucro, ſica. Alia verò ſunt (& horum apud auctores vſus, vt eſt frequentiſsimus, ita eſt maxime cõmendatus) quæ quamuis quarundam rerum aliquo diſcrimine diſsidentiũ propria ſint, tamen quaſi ad eundem intellectum feruntur, cùm in eodem adhibentur orationis filo: vt quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? hic auctus eſt ſermo per verborum ſimpliciũ congeriem, non quòd manus idem ſignificet, quod oculus, ſed quia ad rem eandem ſignificandã proponuntur, eundem ſane efferunt intellectum. Sic Nichobulus: Quiq; futuri ſunt poſt hac ſtulti, lauſtauri, ſtolidi, fatui, nebulones, popilones, burcones, fungi, barbi, machi, margi, gulones, blenni, bochones. Cicero: maleuoli, inuidi, difficiles, lucifugi, maledici, monſtroſi: quæ Polyonymorum copia, velut aceruo, creuit oratio. Aliquando deniq; congeries verborum auget orationis ſenſum per auxeſim & incrementum, quoties gradibus quibuſdam peruenitur, non modò ad ſummum, ſed etiam quodammodo ſupra ſummum: ad ſummum, vt matrem ſuam occidit Nero, quid amplius

Cicero pro Ligario.

Apud Plautum in Bacchide.

Lib. 1. de finibus.

pliùs dicam? Nero ſuam matrem occidit, quæ illum genuit, quæ illum aluit, quæ illum educauit, quæ illum nutriuit. Quod augebitur magis, ſi de teſtationes ac exclamationes adiunxerimus, vt ò deteſtandum facinus, ò horrendum ſpectaculũ, ò infelix vterum, ò miſera matris fæcunditas calamitoſa, ò ſterilitas liberis potior, ò ingrata annorum alimenta! Cicero; et color immutatus eſt vultus, oratio, mens deniq; excidit. Quãdoq; verba ſingula incrementum ſuſcipiunt correctione, vt Cicero; non enim furem, ſed ereptorẽ; nõ adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq́; nõ ſicariũ, ſed crudeliſsimũ carnificem ciuiũ ſociorumq́ in veſtrum conſpectum adduximus. Idem: Adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Vltra ſummũ; ſic Cicero: facinus eſt vincere ciuem Romanũ, ſcelus verberare, patricidium necare, quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt; vbi non ſtatim quod eſt atrociſsimũ ponitur, ſed per gradus plures ad id, quod eſt ſupra ſummum, ventũ eſt. Præterea aliquando verba ſimplicia ſignificationẽ mutant,

Actio. 3. in Verr.

Ibidem.

Pro archia. Poe.

Actio. 5. in ver.

ac

ac contrariam recipiunt , quod lepôris affert non parum, iucunditatis plurimum; idq́ latini dicunt fieri per vocis diſsimilem agnominationem, quæ ſi rectè adhibeatur , maximè orationem illuſtrat. Fit autem duobus modis, primò, cùm idem prorſus verbum mutata ſignificatione repetitur; ſecūdò cùm quodam artificio ſignificatio variatur, & vox ipſa nonnihil permutatur. Prioris modi exēpla ſunt, amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari; huiuſmodi quoq́ eſt illud Proculei, qui cum ſummoperè de filio conquereretur , quòd patris mortem expectaret, filiuſq́ reſponderet, ego ſanè non expecto, imò inquit Proculeius, rogo vt expectes . Alterius modi exemplum eſt , oppugnari pecunia potuit vir bonus, expugnari non poterit? Boetius Ariſtotelem ex Græco in latinū cōuertit, imò peruertit, ius ciuile plus affert diſpendij, quam compendij; Iurisperiti caſas extruunt, & cauſſas deſtruunt; leges cōtorquent, & bona extorquent: peccunias expetunt, & cauſsas nō expediunt; non eſt ſtudioſus iuris prudentiæ , ſed opulētiæ. Cicero; qui de huius vrbis, atq́ adeo orbis terrarum exitio cogitant: Plautus; hic equus non in arcem, verū in arcam faciet impetū, Terētius; Ineptio eſt amentium , haud amantium: Cicero;

Quo modo verba ſimplicia cōtrar iamſignificationem accipiant.

In Catil.

In Bacchide.

In Andri. acti. 1. ſce. 3.

Lib. 2. offic.

G 4 tra-

traditam ſibi publicorum cuſtodiam non honoris, ſed oneris eſſe exiſtimauit. Fit aliquando cũ iucunda illuſione, cuius generis fuit illud Baſsi acutum reſponſum de fratre cæſo: ſit diuus modò ne viuus: Cicero: en cùm magiſter eius ex aratore orator factus eſt: Terentius: tibi erunt parata verba, huic homini verbera: hic non tantũ Curiam diligit, quantùm Curiam: Curia meretricis nomen fuit: amor non eſt amor, ſed amaror. Quidam poſteriorem hunc modum non cognationẽ, ſed agnominationem vocauerunt. Sunt etiam verba quædam idem ſignificantia, quæ à Græcis Sinonyma dicuntur, quæ ita eligenda erunt, vt quæ apertiùs rem declarent, ſumamus, ne aliquo modo narrationem obſcuremus: meliùs enim dicemus certamen, quã monomachiã, aut duellum: ſpartum, quàm, vt Cato, hybericã herbam: hiſtoricum, quàm hiſtoriographum: diuiſit, quam diduxit: diuulgauit, quàm propalauit: auem, quàm alitem: pugnauit, quàm conflixit, & ſimilia. Si verò res pleniùs exprimenda eſt, ſonantiora ſunt verba deligenda, ita vt opportunitatem, potiùs quàm occaſionem; inflammare, quàm incendere; deambulare, quàm incedere; & ſic alia dicamus. Qui autem vberiorem tro-

Philip.2.

porum

porum non modò omnium, ſed figurarum etiam cognitionē deſideret, ſtudioſé legat Ælocutionē noſtram oratoriam, quàm Barcinone excuſsit Petrus Malus Typographus anno. 1572. qua poterit, ſi quod habet huius rei, deſiderium explere. Cauendum tamen eſt, ne tropis & ornamentis, niſi quando rerum, quæ narrantur, natura poſtulet, vtamur: & ne frequenter, aut paſsim repetitis, ſed tanquam emblemata quædam modicè in narrationibus inſerantur; quippe quantum gratiæ, & lepôris habent, ſi rarò vſurpentur, tantum, ſi ſine delectu adhibeantur, iucunditatis amittent. Cæterum quoniam latini ſermonis elegantia, non in ſingulis verbis ſolùm, ſed maximè in ipſa collocatione verborum ſpectatur; abſoluta hactenus verborum ſimplicium, tam natiuorum, quàm figuratorum diſputatione, artis ordo poſtulat, vt eodem ſtudio, ac diligentia, de verborum collocatione, ordine, iunctura, & compoſitione diſſeramus; in quo bona hiſtoricæ orationis pars poſita eſt. Quid enim proderit verba eſſe latina, propria, atq; delecta, ſi phraſis & ſtructura orationis ipſa, tota à latina compoſitione abhorreat, & non perpetua quadam ſerie, ſuaui ſtructura, & concinno filo, ductuq; procedat? Certè & iure

Qualis eſſe debeat troporum vſus.

iure ab omnibus reprehendetur, & vix ab aliquo, niſi barbaro, & admodum agreſti intelligi poterit. Quare in re non minùs pulchra, quam neceſſaria, futuris hiſtoricis aperienda, ſedulò laboremus; vt certum ſibi orationis genus, quod ſine ſtomacho in hiſtoria legi, ac intelligi poßit, facile conſequantur. Neq; enim muſica dulcior, aut iucũdior auribus, aut mente vlla percipi poteſt, quã æqualis oratio, æqualiſq; ſonus, qui apta verborũ, & ſententiarum coniunctione conſtiterit. In vocum igitur coniũctione magnoperè laborandũ eſt, non enim quæuis dictio eleganter, & propriè alteri verbo poteſt adiungi, dare alicui verba, facere verba, vitio vertere, ſi dicas, latinè loqueris: ſi verò dixeris, dare dolum alicui, agere verba, errori vertere; quiduis te potius facere, quã latinè loqui putabo: Sic etiam prærrumpere aciem, facere ſui copiã, inſtruere aciem, colligere dicta, dimittere copias, eleganter, & latinè dicitur: frangere aciẽ, dare ſui copiam, ordinare aciem, compilare dicta, dimittere ſuos milites, barbarè dici ſentiemus. Debent hoc ſtudioſi Bartholomeo Ricio, qui eos, libro illo de ſermonis latini apparatu, à miſerrima barbariei ſeruitute liberauit. Debent id etiam Adriani Cardinalis diligentiæ, qui libro

Quid primum in verborum iunctura obſeruari debeat.

de

de lingua latina ſermonis proprietatẽ indicauit; & omnium maxime eorũ labori, qui theſaurũ Ciceronis collegeruntur. Epythetorum quoq́; electio adhibẽda eſt, ne magis, aut minus rei epytheto tribuamus, quàm eius natura poſcat, ne vè impropria ſumãtur, aut crebra frequẽtatione oratio affectetur. Nullum ego meliorem epithetorũ vſum video, quã eũ, quẽ ſtudioſo ſuppeditabunt Petri Ioannis Numneſij Collegæ olim mei Barcinone, Appoſita certè aurea. Dictio etiã non in loco poſita, elegãtiã vitiat, vt illũ laudauit hominẽ, elegãter dicitur, illũ laudauit mortalẽ, nõ niſi barbarè dicetur. Eſt ergo cõpoſitio propria, concinna, & quadã iucunditate numeroſa verborũ cõſtructio, cuius beneficio æqualis, ſuiſq́; modulis ſuauiter fluit oratio: Cõſtat numero, coagmẽtatione, concinnitate, & certa quadã periodi mẽſura, quibus tota cõpoſitionis ars tãquã ſuis finibus terminatur. De quibus priuſquàm ſigillatim agamus; illud obſeruãdũ eſt, Solœciſmi vitiũ totã poſſe cõpoſitionẽ peruertere. Eſt autẽ Solœciſmus partiũ orationis inter ſe ſine grãmatica connexione diſcordia; aut, vt ſentit apud Gell. Aſinius Capito, impar & incõueniens partiũ orationis cõpoſitio. Cõſecutio, inquit Cicero, in cõiunctione verborũ ſeruãda eſt, ne generi-

Quid ſit compoſitio.

Quot partibus conſtet verborũ compoſitio.

Quid ſit Sœleciſmus & quot modis proprietatẽ orationis peruertat.

In parti. Orat.

generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio. Nam vt in ſimplicibus, verbis, quod non eſt latinum, ſic in coniunctis, quod non eſt conſequens, vituperandum eſt. Vitabimus igitur ſolœciſmi vitium, ſi diligenter caueamus, ne genus pro genere, caſus pro caſu, tempus pro tempore, modus pro modo, numerus pro numero, aduerbium pro aduerbio, præpoſitio pro præpoſitione, in oratione ponatur; in quorum aliquo ſi peccauerimus, in ſolœciſmi vitium incidemus. Copula igitur & connexus verborum (qui ambitus, circuitus, comprehenſio, continuatio, conſecutio, circumſcriptio à Cicerone dici ſolet) latinus ſit, purus, terſus, nitidus, ſemperq́ oratorio ſimilis, Poëtico verò nũquam; qui quaſi Poeticus nexus (cum bonus dormitet Homerus) aliquando reprehenditur in Liuio; qualis ille fuit: eaq́ vti rata ſcirent fore, agnũ leua manu dextraq́ ſilicẽ retinens, ſi falleret Iouem cæteroſq́ precatus deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet, & ſecundum precationem caput pecudis ſaxo eliſit. Qua verborũ collocatione quid fœdius? quid ea ſtructura deterius, aut delicatis auribus inſolentius? Sed iã ad primam compoſitionis partem, quæ in numero

Qualis futurus ſit connexus verborũ in hiſtoria.

Lib.31.

ro verſatur,veniamus,non enim ſatis eſt dictiones proprias,orationemq́; latinam eſſe, vt hiſtoria laudetur; ſed numeris abſolutam ſuis , concentuq́; oratorio ſonantem,ac numeroſam:ideoq́; habenda quoq; ratio eſt numerorum , non quidē omnium(nunquam enim Poetici , oratorij aliquot eorum,qui ad forenſes cauſas apti ſunt,decent) ſed hiſtoriæ conuenientium,qui,vt ait Cicero,redigant omnes in quadrum,numerumq́; ſententias,quiq́; laxè , & fuſè,non inciſè, membratimq́; procurrant,vt orationem Iſocratico more fluentem reddant. Eſt ſanè hæc numerorũ forma demonſtratiuo,atq; ideo hiſtorico generi orationis accommodata,nõ illa contentioſa,ardens, & concitata,quæ cauſis forenſibus liberiùs adaptatur. Afferam vtriuſq́; orationis exemplum, vt qui hiſtoriam numeri,qui uè forenſes cauſas deceant,planiùs intelligatur. Liuius Annibalis in obſeruando Romanorum exercitu ad Trebiam diligentiam deſcribens,ſic fluit leuiter,atq́; laxè,vt meritò lacteo eloquentiæ fonte manare eius oratio videatur. Annibal(inquit) cũ quid optimum foret hoſti cerneret,vix vllam ſpem habebat , temerè atq; improuidè conſules acturos: Sed cum altius ingenium fama prius, deinde re-

cogni-

Quomodo oratio hiſtorica eſſe debeat numeroſa.

Lib. 31.

cognitum, percitum, ac ferox ſciret eſſe, ferotiuſq́; factum ex proſpero cum prædatoribus ſuis certamine crederet: adeſſe gerēdæ rei fortunam haud diffidebat; cuius ne quod prætermiteret tempus, ſolicitusq; & intentus erat, dum Tyro hoſtium eſſet miles, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, dū Gallorum animi vigerent: quorum ingentem multitudinem ſciebat ſegniùs ſecuratam, quanto longiùs ab domo traheretur: Quàm hic laté, quàm ample Liuij fluit oratio? quàm tardè grauiterq; longis periodis procedit? Etenim Liuij oratio vt eſt copioſa & grauis, ita mirè longiori contextu, & maiori orbe connexa; creberrimiſq́; ambitibus, & circunductionibus cohærens, quas hiſtoricas periodos, vel hiſtoriæ flexus vocare poterimus. Eſt enim hiſtorica periodus, oratio prolixior, ex pluribus commatibus, vel articulis & membris ita compoſita, vt non ſolùm eandem rem copioſè efferat, ſed etiam in eandem ſententiam, & conſtructionem plures res complectatur atq; connectat. At Cicero in oratione pro Ligario in eo exēplo, de quo egimus ſupra, quanto concitatior, feruentoir, aſtrictior, quantis veluti aculeis interrogationibus Tuberonem pungit, ac vrget hoc modo:

Quid

Quid enim Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? quantò verò illi numeri iſtis acrioribus ardentiores, & fuſiores ſunt, tantò ſunt hiſtoriæ accõmodatiores, quæ non rapi dè ferri, incitariq́, ſed ſpõte ipſa leuiter fluere debet. Vnde genus orationis fluens, cõnexum, & continuũ tanquã propriũ Cicero, & Quintilianus hiſtoricis tribuerunt. Iam verò, quid de numeris ſentiendum, quidq́; in eis ſeruandum ſit, pleniùs præcipiamus. Non eſt numerus, vt inquit Strebeus, ea ſententia de qua agitur, non ipſa verba, nõ cõcinnitates & figuræ, nõ ij, qui tropi nominãtur, non pedes & eorũ tẽpora, non inciſa, aut mẽbra, aut ambitus, ſed pedum ordine poſitorũ quidã pulcher inceſſus, & veluti quadã orationis expolitio & paleſtra. Sit tanquam paleſtra, quoniã decenter mouet orationẽ: ſit expolitio, quia excolit elocutionẽ: ſit quidam modus propterea quòd menſura quadã continetur: ſit modulatio & quædã muſica, quãdoquidẽ obſcuro cõcentu delectat aures: ſit vinculũ verborũ, eò quòd eligat atq́; connectat dictionis partes: ſit ornamentũ, quo veſtita ſenten

Cice. lib. 2. de Orat. & de Perfec. Orat. Quintil. lib. 9. c. 4. Lib. 2. c. 13. de electio. verbor.

ſententia, non expeditior modò, & accincta magis, ſed pulchrior, atq; venuſtior habeatur. Diffiniamus ergo numerum aptam orationis modulationem, & menſuram ex breuium, & longarum ſyllabarum varietate. Inueniri autem numerum in oratione confirmant Theodectes, Ariſtoteles, & Theophraſtus, qui aliquot de numeris Oratoriis ſcripta reliquerunt, confirmant noſtri Ciceronis ſcripta, qui plura quàm veterum quiſquam de numeris literis mandauit. Oſtendit Dionyſius Alicarnaſæus, cuius opus extat de numeris oratorum. Numerorum verò Iſocrates fertur primus auctor extitiſſe: de quo ſic loquitur Cicero: extitit igitur iam ſenibus illis, quos paulò ante diximus, Iſocrates (cuius domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam patuit, atq; officina dicendi) magnus orator, & perfectus magiſter: quanquam forenſi luce caruit, intraq; parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio eſt poſtea conſecutus. Is ſcripſit multa præclarè, & docuit alios, & cùm cætera melius, tum primus intellexit etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen, & numerum quendam oportere ſeruari: ante hunc enim verborũ quaſi ſtructura, & quædam ad numerum concluſio nulla erat.

Quid ſit numer⁹, & quis primus fuerit numerorũ inuẽtor.

De Ora. ad Brutum.

erat, aut ſi quando erat, non apparebat, eam dedi ta opera eſſe quæſitam, quæ forſitã laus ſit: verũ tamẽ natura magis, tũ caſu nonnunquam, quàm aut ratione aliqua, aut obſeruatione fiebat: ipſa enim natura circunſcriptione quadã verborũ cõ prehendit, concluditq́; ſententiã: quæ cũ aptis con ſtricta verbis eſt, cadit etiã plerũq; numeroſè. Nã & aures ipſæ quid plenũ, quid inane ſit, diſſertiſſi mè ſentiũt, & ſpiritus quaſi neceſſitate aliqua ver borũ cõprehẽſio terminatur; in quo nõ modò defice re, ſed etiã laborare turpe eſt. Quãuis ante Iſocra tẽ iam Thraſymacus in artẽ quadam numeri præ cepta reuocaſſet, tamẽ id nõ ita perfectè præſtitit, vt non Iſocratis poſteà induſtria indigeret, qui & augeret minuta illa & verſiculorum ſimilia, nimiumq́; depicta, quæ Thraſymacus prodiiſſet, ac per ſe ſedula obſeruatione, ac ſtudio ad ſummã per fectionem euexiſſet. Nam vt idẽ teſtatur Cicero: Cùm, quæ Thraſymacus ſcripſiſſet, Iſocrati nõ pro barentur, primus inſtituit dilatare verbis, & mol lioribus numeris explere ſentẽtias. Numerũ ergo in oratione reperiri, ex his, quæ diſſeruimus, ſatis ſuperq́; cõſtabit. Numeri autẽ vox orotoriis, & Poëticis pedibus accõmodatur, tranſlata per ſimi litudinẽ quandã à canticis muſicorũ. Nã quem-

admodum muſici harmonia atq́; concentu ſua cã
tica modulantur: pari etiã ratione Oratores &
Poëtæ ſuas orationes pedibus reddũt ſuauiores.
Hinc duplex oritur differentia numeri; alter e-
nim ſtrictior eſt, metrũ ſeu menſura vocatur, qui
Poëtis tribuitur; alter aliquantò liberior, qui nu
merus oratorius ſolet à Rhetoribus nominari,
ſolutæ orationi conuenit, & ad oratores reffertur.
Differunt Oratorij pedes à Poeticis, quòd orato-
rij pro orationis varietate modò hi, modò illi ab
oratoribus vſurpentur, ſintq́; pauciſsimi numero,
Poëtici verò ſẽper iidẽ repetantur, quouſq; genus
verſuũ; quòd Poëtæ caperũt abſoluãt, ſuntq; pro
pè infiniti. Vndè oratorũ oratio ſoluta dicitur, nõ
quòd reuera ſi res acri quodam (quo expendũtur
omnia ſubtiliùs) iudicio expẽdãtur, numero care-
at, ſed quòd ſoluta quodãmodo debet iudicari, ſi
cũ aſtrictiori Poëtarũ oratione cõferatur; verſus
cùm certũ habeat quendam ordinẽ, & finita ſpa
tia, quibus quaſi finibus terminatur: oratoria col
locatio nihil magis, quàm eã tãtã anguſtiã dete-
ſtatur. Debet igitur numeroſa oratio nec omni-
no eſſe aſtricta, nec libera omnino, ſed mediũ quẽ
In Oratore. dam modũ retinere. Quod Cicero ſignificauit his
verbis: neq; effugere poſsemus reprehẽſionẽ, ſi ſem

per

per iiſdem pedibus vteremur; quia nec numeroſa eſſe, vt poëma; neq; extrâ numerũ, vt ſermo vulgi eſt, debet eſſe oratio. Numeri iam oratorij ſimplices ſunt, aut cõpoſiti: ſimplices verò, aut diſſyllabi ſunt, aut Triſyllabi: Diſyllabi quatuor. Choreus cõſtat duabus ſyllabis prima longa & ſecũda breui, vt verba, ſaxa. Pyrrichius duabus ſyllabis breuibus vt Deus, bene; Spõdeus duabus lõgis, vt audi, doctis; Iambus duabus breui & lõga vt dari, opes. Triſſallibi ſunt octo: Trocheus cõſtat tribus ſyllabis breuibus; vt docuit. Moloſus tribus lõgis, vt Romanis; Dactylus prima lõga, & duabus breuibus; vt tẽpora; Bacchius prima breui & duabus longis, vt amicis; Creticus prima longa, ſecũda breui, & tertia longa; vt iudices; Anapæſtus ex primis breuibus & vltima longa, vt fabulæ; Amphibrachus, prima lõga, ſecunda breui, & tertia lõga; vt probare; Antibachius prima & ſecũda lõgis, poſtrema breui, vt legabat. Qui ex his cõponuntur pedes quatuor ſyllabis conſtant, ſunt (qui frequẽtius à Cicerone vſurpãtur) terdecim, Proceleumaticus, qui cõſtat quatuor ſyllabis lõgis, Paan primus prima longa, reliquis breuibus; Paan ſecũdus prima breui, ſecũda longa, tertia breui, quarta lõga; Paan tertius prima & ſcũda

breuibus, tertia longa, & quarta breui; Pæan quartus tribus breuibus, vltima longa; Diſpondeus quatuor longis; Diiambus prima breui, ſecũda longa, tertia breui, & quarta lõga. Antipaſtus prima breui, ſecũda & tertia lõgis, poſtrema breui. Ionicus à maiori, prima & ſecũda longis, tertia & quarta breuibus; Ionicus à minori prima & ſecunda breuibus, tertia & quarta longis. Epitritus primus prima longa, & reliquis breuibus; Epitritus ſecũdus prima longa. ſecũda breui, tertia & quarta longis. Epitritus tertius prima & ſecũda longis, tertia breui, & quarta lõga; Epitritus quartus tribus prioribus longis, poſteriori breui. coriambus prima longa, ſecũda & tertia breui, poſtrema lõga, Dichoræus id eſt duplex Choræus cõſtat prima longa, ſecunda breui, tertia longa, quarta breui. Alij Dochimũ, & vt Strebus Dochimiũ his addũt, cõſtat quinq; ſyllabis, prima breui, ſecũda & tertia longis, quarta breui, quinta lõga. Sed horũ numerorũ, qui copioſiorẽ diſputationem requirat, legat Iouitam Rapicium, qui ſi quis alius diligenter fuit hanc rem perſecutus. Iam qui pedes initio, qui verò in fine periodi, aptè collocentur altiùs repetamus. In principio Dactylus rectè locatur; vt omnia prætermitã. Dochmius; vt cæte-

2. lib. de numero oratio.

catenas habebat. Moloſſus, vt quæ res, in ciuitate. Pœan quartus; vt retulerant viri docti; Trocheus vt grauiter & iniquo animo paterer; Diſpondeus; vt ſi quis veſtrũ expectat. Dichoreus, vt ſi quis anteà Iudices. Antibacchius, vt laudare ſolebant aduerſarij, Baccbius; vt diuturni ſilẽtij; Pæan primus; vt obtinuit dignitatem; Amphibrachus; vt probare rem tantam. Iambus; vt nouum crimen C. Cæſar. In fine periodi numeroſè adhibentur ſpondeus, & Dichoræus; vt horum Tuſculanum: Pæan primus & ſpondeus: vt eſſe videatur: Iambus & diſponendus, vt virum condemnarunt: Dichoræus & Moloſſus; vt fuiſſe cẽſuerunt: Creticus iteratus; vt ira victoriæ: Dochmius; vt ſententiaq́ cognoſcerent: Creticus & Dichoræus; vt cum victoria conferatis: Bacchius & Dichoræus; vt ſapientem candidatum: Dactylus & Dichoræus; vt gentibus imperare, & ſolatia ſeruitutis. Ex tanta verò numerorum varietate hiſtorici (qui non æquè vt Oratores numeris aſtringuntur) finiunt claudũtq́ ſuauiter periodos Dochmio, Dactylo, & Dichoreo, Cretico Iterato, Iambo & diſpondeo, vt accuratè percurrentibus Cæſaris, Saluſtij, Liuij, ac Taciti hiſtorias paſſim licebit experiri; à cæteris abſtinendum erit,

Quid ſit coagmẽtatio & in quo conſiſtat

aut eis rarò vtendũ;ne hiſtorica oratio,tã ad numerum exquiſita,quàm Oratorũ dictio,qui audientiũ aures iucunditate captant, eſſe videatur.Coagmẽtatio ſecunda eſt compoſitionis pars: eſt autem tranſlata vox ab architectis, qui propriè lapides coagmẽtare & componere dicuntur, vt ea ſtructura domus conſtruatur. Coagmentatio verò in iunctura dictionũ poſita eſt: definitur eorũ ſtructura verborum,quæ molliter cohærent. Omnis huius partis vſus in coagmentandis,coniungendisq́; vocalibus,& conſonantibus conſtitutus eſt.Nam in omni verborũ coagmentatione, aut vocales vocalibus adhærent ; aut conſonantes occurrunt cõſonantibus ; aut conſonantibus vocales.Quod autẽ ad totam hanc partem pertinet,detur opera,vt ſuauis eſſe videatur orationis curſus:quod maximè fiet,ſi caueatur hiatus vocaliũ:hinc latini, ne paßim hiare cogerentur, colliſionem,ſeu Synalepham vocum inuenerunt; eſt enim illa inſuauis oris diſtortio;ſuauis autẽ erit hiatus,ſi ea defuerit,hoc eſt,ſi vocales eiuſdem nominis in oratione concurrant, qualis ille fuit verborũ Ciceronis: Ego omni officio, ac potiùs pietate:Item ſi conſonantes ſint eiuſdem nominis,fieri volo iudiciũ.Fugienda quoq; eſt eiuſdem

dem literæ,ſyllabæ,aut dictionis vel initiò,vel in fine frequentatio,nè verborum ſonus ingratus efficiatur:quod vitium,Cacemphaton, à Rhetoribus nominatur. Obſeruari quoq; oportet, nè decreſcat,ſed augeatur ſemper oratio, aut grauiori leuius aliquid ſubiiciatur.Vocaliũ tamen cõcurſio quoniã vitari non poteſt,curandũ eſt primũ,vt ſonum aures metiãtur,quæ quid plerunq; plenũ,quid inane ſit,natura duce ſolent iudicare;deinde quas Cicero ſæpiùs vocales cõiunxerit, imitabimur,quas verò rariùs connectere ſoleat, ſtudioſè fugiemus.Vix enim pars iſta,poteſt veluti in artẽ reuocata,præceptorũ multitudine cõprehẽdi,quæ potiùs perpetua quadã obſeruatione quàm artificio;& natura,quàm arte cõtinetur. Nã(vt Cicero inquit) ipſa natura circũſcriptione quadã verborũ comprehendit,concluditq; ſententiã,quæ cum aptis conſtricta verbis eſt, cadit etiam pleruną; numeroſè. Quod tamen vt maiori fiat fælicitare rem cognitu digniſsimã exponamus.Frequens vocaliũ concurſus hiatum efficit, ſonumq; reddit moleſtiorẽ: cum autẽ quinq; ſint vocales,ex eis A.& O, ſonoræ ſunt. I.&,V. exiles, E. Intermedia dicitur. Quòd ſi vocales ſonoræ diuerſi nominis vocalibus ſonoris ocurrant,

non aptè cohærent; vt tanta olim & modò auctori tas. Si tamẽ exiles præcedant ſonoras, mollis erit compoſitio, vt; Tu rem ante oculos poſitam mira-ris non ſatis apertam videri, ſi verò exiles iungã tur exilibus, aut exilibus intermediæ, ſuauis fiet, hiatus: vt iſtud ſibi erat obſeruandum, nihil eſ-ſe hominibus moleſtius veritate. Si autem voca-les fuerint diuerſæ, quarum altera in fine præcedẽ tis dictionis poſita, altera in principio ſequentis diphtongum effecerint, rectè cohærent: vt magna eſt, & ſtupenda eius perturbatio. In principio er-go periodorum ſuauiter, à ſonoris vocalibus ad exiles progrediemur, in fine elegantiùs ab exilibus ad ſonoras. Hæc de vocalium coagmentatione bre uiter dicta ſufficiant, nunc de conſonantium diſ-poſitione diſſeramus. Si dictio præcedens in ſim-plicẽ cõſonantem finiuerit, & quæ mox ſequetur, eandem in principio retinuerit, aptè cohærebunt, vt verba illa Ciceronis: nec verò diſiunctiſſimas terras citiùs cuiuſquam paſſibus potuiſſe peragra ri, quàm tuis non dicam paſſibus, ſed victoriis il-luſtratæ ſunt? Si eædem conſonantes vel ſyllabæ repetantur, inſuauem, & aſperum ſonum effi-cient, vt Xerxes rex, cæca caligne, ſpes ſperando. ſpirat, quæ cum ſpiritus labore efferuntur, N. ex

Qua arte vocales coniunganturvt ſuauis fiat oratio.

De coagmẽtatione cõſonantium ad iucũditatem orationis.

conſo-

conſonãtibus aptè ſonat, L. etiam ſi proxima fini adhibeatur, ſi verò ſubiecta fuerit his cõſonãtibus C, F, G, P, F, R, N, aſperũ ſonũ reddit N, ante B, M, P, paulò durior eſt. Hinc fit, vt dicamus, imbuere non inbuere, templum non tenplum, immenſus non inmenſus. B. cum J. rectè iungitur, vt ab Ioue, C. poſtpoſita cõſonantibus malè ſonat, vt ſanctus quotieſcunque dictio in M, finiuerit, & in principio ſequentis inuenientur C. D. G. L. N, Q. R. S, T, X, Z, aſperum ſonũ efficient. Hãc coagmentationis curam Quintilianus nimiã eſſe non oportere, videtur ſignificare, cum ſic loquitur: Non tamen id vt crimen ingens expaueſcendum eſt, ac neſcio negligentia in hoc, an ſolicitudo ſit peior. Inhibeat enim neceſſe eſt hic metus impetum dicendi & à potioribus auertat. Quod etiã Cicero, his verbis expreſſit: Habet enim (inquit) ille tãquam hiatus vocalium malle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis, quàm de verbis laborantis. Concinnitas eſt verborũ aptè cadens collocatio beneficio quatuor figurarũ, quæ ſunt ſimiliter diſinẽs, ſimiliter cadens, paria paribus relata, & contrariis contraria oppoſita. Similiter deſinẽs eſt, cùm dictiones, vel ſententiæ ſimilem habent exitum:

Lib. 9. c. 4.

De Ora. perfec.

Quid ſit concinnitas orationis, & quomodo paretur.

2. Catil. *vt Cicero: Sed quamuis multos fuiſſe putatis, qui,*
quæ ego deffenderem, non crederent: quàm multos
Pro. Mar. *etiam qui defenderent: quàm multos & qui prop*
Mar. *ter improbitatem fauerent. Idem; ergo & mihi*
meæ me priſtinæ vitæ conſuetudinem. C. Cæſar,
intercluſam aperuiſti, & his omnibus, ad benè de
Repub. ſperãdum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.
Similiter cadens (vt ait autor ad Herennium) eſt
cùm in eadem ſtructura verborum, duo, aut plu-
ra ſunt verba, quæ ſimiliter eiſdem caſibus efferũ
Verrina *tur; vt turpe eſt, laudare hominem egẽtem virtu-*
7. *tis, abundantẽ fœlicitatis. Cicero; atq; hæc omnia*
ad memoriã vetuſtatis; non ad contumeliã ciui-
tatis referri volo. Paria paribus relata ſunt, quã
do membra paria paribus opponuntur, vt vicit
pudorem libido, timorem audacia, rationem amẽ
tia. Aliquando tamẽ plures ſyllabæ in altero mẽ-
Pro *brorum collocantur, neq; inde paria paribus rela*
Mar. *ta eſſe deſinent, vt Cicero: Si vidua liberè, proter-*
Cel. *ua petulanter, diues effuſè, libidinoſa meretricio*
modo viueret; adulterum ego putarem, ſi quis hãc
paulò liberiùs ſalutaſſet. Aliquando hæ, de qui-
Pro Mi *bus modo diſſerui, tres figuræ ſimul coniunguntur,*
lo. *vt Cicero: Eſt enim, Iudices, non ſcripta, ſed na-*
ta lex, quam non didicimus, accepimus, legimus:

verùm

verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus,expreßimus,ad quam non docti,ſed facti;non inſtituti,ſed imbuti ſumus. Antitheta ſunt , quando contrariis contraria opponuntur,Cicero: conferte hanc pacem, cum illo bello:huius prętoris aduẽtum,cũ illius Imperatoris victoria:huius cohortem impurã,cumillus exercitu inuicto:huius libidines,cũ illius continentia: ab illo qui cepit cõditas,ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas? Cũ autẽ quatuor ſtatuerit Ariſtoteles cõtrariorũ formas,relata,aduerſa,priuantia,& contradicentia, à quibuſcunq; ad orationis concinnitatem probè Antitheta deſumentur, quorũ exempla à nobis recenſentur in libello noſtro de Vtraq; Inuẽtione,Scholio de Oppoſitis.Abſoluta concinnitatis diſputatione, poſtulat inſtituti ratio,de periodi mẽſura, hoc eſt,de poſtrema cõpoſitionis parte dißeramus.Periodus gręca vox eſt,dicitur à περὶ; hoc eſt circũ,& ὁδὸς id eſt via, quaſi circularis via,quòd tanquã ſuis cõtenta finibus fluat oratio.Periodus eſt vno ſpiritu,prolata oratio, quę plenã aliquã ſententiã connexis inter ſe partibus cõprehendit,vt Cicero: Diuturni ſilẽtij. P.C.quo eram his temporibus vſus,nõ timore aliquo,ſed partim dolore,partim verecundia finem hodiernus dies attulit:idemq; initiũ,quę vellem

Quid ſit period' quot partibus cõſtet & quo modo ſint cõnectẽdæ.

quęq;

quæq; ſentirẽ, meo priſtino more dicendi. Conſtat duabus partibus, mẽbro & inciſo; membrũ, quòd Græcè dicitur colõ, eſt orationis pars abſolutũ aliquid penè ſignificans, ad cuius perfectionẽ aliquid adhuc ſibi adiungi poſtulat. Inciſum pars eſt orationis nondũ aliquid abſolutũ ſignificans, quæ duodecim ſyllabarũ numerum non debet excedere. Conſtant autẽ periodi, aut vno mẽbro, aut duobus, aut tribus, aut quatuor mẽbris: quæ vno tantũ conſtat, Monocolos, latinè vnimembris dicitur, quæ duobus Dicolos, latinè bimẽbris; quæ tribus Tricolos, latinè trimembris; quæ quatuor Tetracolos, latinè quadrimembris: Aliquando pluribus etiã membris continetur. Inter omnes eæ potiſſimùm Ciceroni probantur, quæ quatuor mẽbris terminantur; ſic enim loquitur: Ambitus ille, & plena comprehẽſio conſtat quatuor ferè partibus, quæ membra dicimus, vt & aures impleat, & ne breuior ſit, quàm ſatis ſit, & nè longior: quanquã vtrumq; nonunquam, vel potiùs ſæpè accidit, vt aut citiùs inſiſtẽdum ſit, aut longiùs procedendũ, ne breuitas aures defraudaſſe videatur, ne vè lõgitudo obtudiſſe. Illud verò obſeruare oportet, in quo ſæpiſſimè multi errare ſolent, qui periodos (quas Cicero tumultũ, ambitũ, circuitum, cõprehẽ-

ſionem

ſionem, confirmationẽ, circunſcriptionem variè nominauit) connectere neſciunt, pleruncq; laborãtes ignoratione quadam formularum, quibus poſteriores cum prioribus rectè coniungant, vt perpetua quadam ſerie ſuauicq; nexu copulata, concinno, & quaſi cõtinuo ductu procedat oratio. Quippe Senecæ vitium illud obiicitur, & tãquam probrum mirificè exprobratur, quod ineptè & inconcinnè orationis membra connectat, & multis articulis veluti quibuſdam neruis epiſtolam coagmentet. Quæ quidem coniunctio membrorũ adeo neceſſaria eſt, vt Quintilianus tria in compoſitione precipuè obſeruanda eſſe dixerit ordinem, iuncturam (quã nos connexionem diximus) & numerum. Quapropter non parùm refert, connectẽdi formulas ſtudioſè diſcernere. Sed quia minutiores particulas perſequi, propè infinitum videretur, potiſsimas tantùm percurremus, quales ſunt; Præterea, primũ, deinde, mox, ad extremũ, poſtremo, deniq; primo loco, ſecũdo & tertio loco, Iam, Iamuero, verũ enimuero, quapropter, quãobrem, qua de cauſa, quippe, etenim, cũ, pro. præterea, tum & cum, partim, & partim, ad hoc, ad hæc, inſuper accedit his, accedit ad hoc, huc accedit, huc pertinet, eodẽ ſpectat; & elocutiones quædam,

Lib. 9. c. 4.

dam, quæ oratoribus, quam hiſtoricis accommodatiores ſunt; vt huic conſimile, huic confine eſt illud, his finitimum eſt, ad hunc ordinem referendum eſt, huic proximum eſt illud, non eſt illud ſilentio prætereundum, abſoluta erit huius rei diſputatio, ſi illud addidero, illud vnum adiungã, vnum ſupereſt non omittendum, & alia id genus; connectimus etiam per occupationẽ, vt omittam domeſticas eius ſordes, nam illud quid attinet commemorare? Connectimus etiam per tranſitiones, vt ſunt hæc iucundiſſima, ſed nõ minus vtilitatis ſequentia ſunt allatura. Verũ de hoc aliàs, nunc ad inſtitutum reuertar, qui modus ſinita digreſſione optimè cadit: Hactenus de tẽperantia, nunc de iuſtitia dicam: vt eô vnde paulò fluxerat, mea reuertatur oratio. Cæterum de periodi partibus, quid Ariſtoteles magnus dicendi, ſentiendiq́ magiſter, quẽ Philoſophorũ Pricipẽ

Lib. 3. c. 10. ad Theod. *poſſumus appellare, doctè, vt ſolet, tradiderit, audiamus. Periodus, inquit, omnis aut mẽbratim effertur, aut ſimpliciter ſingulis quàſi verſibus deponit, ac ſedet. Membratim effertur, quæ modis quibuſdã, interualliſq́ diuiditur: & prætereà eiuſmodi eſt, vt eam ſpecies pronuntiantis facilè proſequatur: non ad cæſionem vſq́, quemadmodum*

dũ & iam dicta periodus: ſed quoad vniuerſus circumducitur orbis. Membrum verò portio periodi, & cõprehenſionis eſt alterum; Simpliciter, quæ ſine membris vno contextu, ac ſerie clauditur. Oportet autẽ tùm mẽbra, tùm circuitus neq; amputatos, & perbreues, nec contrà immodicos, & excreſcentes eſſe. Nã præcincta, & curta conclusio auditorem ſæpenumerò quaſi offendere facit, & cadere. Quemadmodum enim, qui impetu longiùs concepto, ſi obiectu aliquo reuocentur, quaſi ſpiritu eliſo feſtinationeq; corruunt: ita qui audiendo occupati vlteriùs tendunt, & depoſitionẽ aliquã mediocrẽ expectant, oratione interrupta, & quaſi conuulſa, repentè ſilentiũ oritur: hoc eſt, ſi ij, qui dicunt, media intentione deſtituunt, neceſſe eſt, vt illi tamquam intercepti reſultẽt, & concidant. Quæ verò lõgiuſculæ ſunt, quàm ſit neceſſe, tranſiliunt, relinquntq; auditorẽ, eo modo, quo ij, qui ſeſe extra terminos metarum flectunt. Nam & hi deſerunt obambulantem catum. Præterea periodus longa videtur integra oratio, & quæ veterum more demum cõcluditur, abſoluta cùm eſt: quodgenus nos ſuſpenſiones & dilationes appellauimus. Vt dici poßit illud hoc loco quàm commodißimè, quo Democritus Melanippidem

pidem

pidem cauillabatur, qui ſublatis Antiſtrophis cõtinenter dicere maluiſſet; Ipſe ſibi quærit, qui aliis incommoda quærit. Et ſuſpendenti ſuſpenſio peſſima ſemper. Hoc idẽ veriſſimè in eos dicetur, qui longa membrorum ſerie orbem illum, & circuitum tardiſſimè finiunt. E diuerſo non eſt habenda periodus, quæ breuiſſimè, & ocyſſimè præterit, quæq́; auditorem ruere, & præcipitem ire compellit. Hactenus de verborum delectu & collocatione diximus, iam vt opus noſtrum omnibus ſuis numeris, ac partibus abſolutum efficiamus, oportet ſequenti libro de rerum delectu, & collocatione ſimili modo dicamus. Cum enim in iucundiſſimo verborum portu iactis anchoris veliſq́; contractis hactenus acquieuerim, funus iam ſoluã, vela dabo, clauum regam, & in vaſto deinceps rerum in hiſtoriam cadentium Oceano nauigabo.

FINIS PRIMI LIBRI.

10-9-C-3

129

DE CONSCRIBEN-da rerum hiſtoria Liber ſecun-dus, in quo agitur de ele-ctione, & collocatio-ne rerum.

Auctore Ioanne Coſta Ciue Cæſaraugu-ſtano, ac legum Doctore.



Ex officina Laurentij Robles, Regni Ara gonij Typographi Cæſarauguſtæ.
Anno CIↃ IↃ LXXXXI.

DE CONSCRIBENDA HISTORIA
Liber Secundus.

QVONIAM omnis quæ de aliqua re inſtituitur diſputatio (vt ait Cicero, & qui eum ætate Socrates anteceßit) debet à diffinitione proficiſci; non committamus, vt quam docendi rationem magni illi laudandarum artium parentes tantoperè probauerint, nos aut ignoraße, aut perceptam neglexiſſe videamur: & de hiſtorica narratione acturi, quid ipſa ſit, initio videamus; vt probè intelligatur, quid ſit id de quo diſputemus. Eſt autem hiſtorica narratio rei geſtæ vera ac dilucida expoſitio, quæ iucunda rerum commemoratione animos legentium docet, atq; delectat. Hoc cùm ita ſit, primum, qua arte res, quæ cadere debeant in narrationem, eligendæ ſint, deinde quo ordine diſponendæ videamus; quæ duo rerum delectum, & collocationem continebunt. Primùm res illæ delectæ erunt, & aptam narrationem efficient, quæ fuerint vtiles, magni ponderis, & momenti, & omnium laude, atq; admiratione digniſſimæ; hoc eſt, ſi nimis vulgaria auferantur; accidunt enim ſæpe multa adeo exilia,

Quid ſit hiſtorica narratio, & quibus partibus cõtineatur.

Quo modo rerũ delectus paretur.

Quæ debeât prę

teriri in nanatione hiſto rica.

leuia, minuta, & quodammodò puerilia, quæ cùm parùm interſint, ſi rebus dignitate præſtantibus inſerantur, earum prorſus grauitatem abijcient. Prætereunda etiam ſilentio ſunt omnia fabulis, portentiſq; ſimilia, quæ fidem, & auctoritatem hiſtoriæ detrahunt; quo quidem vitio reprehendi ſolitus eſt hiſtoriarum ille pater Herodotus, quòd rebus plerunq; ſeriis fabulas inſeruiſſet. Portenta verò in Græcorum hiſtoriis obuia ſæpe ſunt, quibus ipſa veritas narrationis minuitur, atq; deprimitur; qualia illa fuerunt, Græcorum decem millia, ſexcenta millia Perſarum vno prælio occidiſſe; Xerxem Regem Perſarum epiſtolam miſiſſe ad Aton montē, quaminabatur ſe montem in partes diuiſſurum, ſi contra Græcos ei properanti iter prærrūperet: fretoq; pontem altiſſimum extruxiſſe. Hinc Herodotum quidam, non hiſtoriarum, ſed mendaciorum parentem; Græcos verò omnes hiſtoricos mendaciſſimos nominarunt; iuxta illud Iuuenalis; Et quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria. Hinc ſanè fit: vt non modo inter ſe ſummoperè pugnent Græci hiſtorici, ſed etiā alter alterius mendacia acerrimè refellere conetur: ita Ephorus Hellianicū, Timæus Ephorū,

4

Phi-

Plinium Polibius, Herodotum omnes tanquam fabulatorem reprehenderunt. Tantæ verò differentiæ ea potiſſimum cauſſa fuit, quòd cùm primi illi fuiſſent hiſtoriarum inuẽtores, res partim variè ab aliis refertas, ſibi verò ignotas accipiebant, partim affectionibus facillimè ducebã tur, vnde factum fuit, vt non hiſtorias, ſed mendacia concripſerint. Quod cùm Latini prouidè animaduerterẽt, vt omnia, prout geſta fuerunt, incorrupta, integra, atq; fideliter conſcripta haberentur, illud imprimis ſanxerunt, vt Pontifices Maximi res omnes ſingulorum annorum litteris mandarent, efferrentq; in album tabula domui propoſita, vt eſſet populo poteſtas cuncta cognoſcendi, quos (vt dixi alibi) Annales appellarunt. Huiuſmodi poſtea ſcribendi ſimilitudinem ſecuti fuerunt Piſo, Siſena, Fabius Pictor, & illé Cato Portius omnium bonarum artiũ magiſter Romæ nominatus; qui ſine vllis ornamentis, ſine pigmentorum coloribus, ſine fucato nitore monumenta rerum geſtarum reliquerũt, nuda, recta, atq; ſimplicia, primam illam imprimis obſeruantes hiſtoriæ legem, quæ præcipit, ne quid falſi dicatur. Verùmenimuerò cùm ingenia erudito iam ſæculo, indies magis excolerentur,

tur, & facundia vberior, politiorq́; proflueret, eloquentiſsimi inter Romanos ad ſcribendas hiſtorias animos appulerunt, qui non vt ſuperiores tantummodò narratores fuerunt, ſed etiã exornatores atq́; illuſtratores maximi extiterũt; qui diuino ingenio præſtantes viri hiſtorias affectionibus omnibus, caſuũ varietate mirabili, egreſſionibus iucundis reſperſerunt, & quibuſdam floſculis, quaſi pratum, diſtinctas, variataſq́; decorarunt. Neq́; eſt in narratione eorum aliquid omittendum, quod ſi relinquamus, poſsit aut obſcuritatem parere, aut aliquam hiſtoriæ dignitatem adimere; aut dicendum aliquid, quod à rerum veritate aliquo modo diſsentiat; ne hiſtoriam, quæ omni carere debet affectu amoris, præmij, largitionis, ac odij, omnibus ſuſpectã reddamus. Nam qui his cauſis moti hiſtorici à veritate narranda aliquo modo declinarunt, in turpiſsimi criminis notam inciderunt, & ab officiis non modo repelli, ſed his pœnis affici debuiſſent, quibus à iurè puniuntur, qui grauiſſimè deliquerunt. Reticenda etiam ſunt, ſi quæ forte occurrant narranda obſcena, & ſordida, ne aliqua peſte legentium animos inficiamus, aut

aut fœda animi corporiſuè vitia in Republica altis radicibus inſedeāt. Etenim ſi magiſtra vitæ dicitur eſſe hiſtoria, qualis ea poterit iudicari, quæ exemplorum turpium contagione tanquàm litigioſo Arpiarum tactu vitam contaminet, mores deprauet, ac modeſtæ inſtitutionis leges ac iura vitiet, atq; corrumpat? Nam vt Oratius ait.

In Arte poet.

¶ Dū ſemel eſt imbuta recens ſeruauit odorē
Teſta diu.

Nonne hominum vitæ, quæ honeſtatis exemplis, probiſq; colloquiis ad virtutem inſtruitur, decentiùs multò illi prouiderunt, qui deprauata, & ante id tempus inaudita quorundam hominum ſcelera, atq; flagitia (quæ ad imitandū prodeſſe nihil poterant, obeſſe quamplurimùm) ſilentio ſepelierunt; quàm qui Neronis vitia impudicè, vt Suetonius, memoriæ hominum commendarunt? Quis quæſo eorum, qui diuina non negligant, aut cœlum æternum domicilium proſpiciant, non mente perhorreſcat inſolentem luxū, efrenatamq; libidinē Sardanapali Regis Medorum, & Caligulæ Imperatoris Romani,

Cauendū eſt, ne turpia exēpla in hiſtoria narrentur.

qui aßiduè voluptatibus indulgebant; quorum ille (vt memorat Atheneus) perpetuò cum mulieribus verſabatur, & lanam digitis carpebat, columq́ tractabat; hic virilium voluptatum odio affectus, vt muliebres ſectaretur, virilia ſibi amputari tentauit, vt impudicus Lampridius, & alij tradiderunt. Quod ſi vtilitatem Stoici cum honeſtate ſemper fuiße coniunctam, in publicis Gymnaſiorum ſpatiis olim docuerunt, ſentiendum eſt ſane, illa tantum debere dici vtilia, quæ eße ſimul honeſta comperiamus; illa verò tātummodo honeſta, & vtilia, quæ ad vitæ inſtitutionem, vitiorumq́ depulſionem neceſſaria eſſe cernentur. Potißima ergo, & vniuerſa ad rerū delectum parandum ea erit præceptio, vt narratio ſit vera, imò ipſa lux veritatis, quocumq́ libera affectu largitionis, odij, amoris, omniq́ ſuſpitione careat, quam virtutem aſſequetur hiſtoricus, ſi non ſit ea ficta, aut fabuloſa, vt in Poëmate; non probabilis, vt in argumentis; non particeps portentorum, vt Herodoti, & ei ſimilium Græcorum narrationes; ſed neutra, ideſt, ne vni magis quàm alteri parti addicta ſit, ſed certa, ſed nuda coloribus ſuſpitionis, & quæ non abiecta, obſcena; & turpia; ſed præclara, & ad virtutem

Vtile eſſe nō poſſe quod nō ſit honeſtū Stoici philoſophi tenuerūt.

Narratio omni affectu carere debet.

tem, Rempublicamq́ neceſſaria contineat. Cæterùm, quia inutilis rerum delectarum labor ſuſceptus cenſeretur, ac inanis qualibet de diſpoſitione diſputatio, niſi priùs de themate conſtiterit, in quo l iſta cadere debeant, principiò nobis aliquod, veluti rerum narrandarum argumentum, ſtatuendum eſt, quod tanquàm generalem quæſtionem, & vniuerſam, quàm Græci theſim vocant, nobis proponamus; ſitq́ veluti totius narrationis vaſis, & fundamētum; & ad quod perficiendum, omne noſtrum ſtudium cōuertamus. Vt ſi res à Carolo V. Imperatore terra, mariq́ geſtas ad narrandum deligamus; eò ſiquidem omnia præcepta, animi ſenſus, mentis cogitationes, induſtria, & labor referenda ſunt; vt opus quantùm fieri poſſit, abſolutum perficiamus; quæ quidem quæſtio hiſtoriæ materia eſt, in qua tota eius verſari debet narratio. Præterea vniuerſa ea quæſtio in particulares alias, ex ea profectas, & emanatas, veluti in ſuas partes diſtribuenda eſt, quas quidem Hypotheſes nominare poterimus; quòd magnos illos eximioſq́ Hiſtoricos Grecos, & Latinos feciſſe dubium eſſe non poteſt. Iā tota rerum narrandarum diſpoſitio, ac collocatio ordine diſtincto, rerumq́ apta diſtributione

Electio rerū duci debet ab argumento, & themate, quod in partes diſtribuēdū erit.

continetur. Ordinis autem formæ variæ proponuntur à Philoſophis; quædam eſt Compoſitionis, ſiue naturæ; alia diſſoluendæ finitionis, alia Analaſis Græcè dicta, Latinè diſſolutionis, alia deniq́ Prudentiæ. Compoſitionis ordo eſt, à partibus minutiſsimis ad maiores, deinde ad alias progreſſus, quouſq́ ad finem perueniatur; qua docendis artibus nulla eſt accommodatior, eamq́ Ariſtoteles in tradenda Logica obſeruauit: qua probat Antonius poſſe ius ciuile in artem reuocari, & Plato etiam laudat, dicens, Dij nobis hanc dicendi, docendi, diſcendiq́ viã oſtenderunt. Diffinitionis ſolutio eſt ordo, quo à diffinitione ad ſingulas eius partes explicandas procedimus; quam commendat Cicero, quòd ex antiqua Platonis Academia fluxerit: quidquid medici ſententiant, Galenum Academicæ familiæ ſtudioſiſsimum, huius methodi auctorem extitiſſe: de qua multò ante non pauca Leonicenus, plura Triuerus, doctè quidem & ſubtiliter, ſed parum diſtinctè ſcripta reliquerunt. Analaſis Compoſitioni aduerſatur, eſt enim à ſuperioribus partibus ad minores, deinde ad aliàs progreſſus, quouſq́ ad finem perueniatur. Hæc archi-

Quot ſint ordinis ſpecies, & quæ hiſtoriæ accõmodatę ſint.

Antoni. apud Cicero. lib. 1. de orat.

Plato. in dialo. philebo.

Lib. 1. offic.

Statim initio artis paruæ.

architectos & hiſtoricos decet: Nam quemadmodum Architecti, antequam ædificium extruant, altamente perpendunt, tectis homines egere, ne moleſtis calamitatibus obruãtur, tecta vero ſine parietibus corruere, parietes erigi non poſſe, niſi fundamenta iaciantur, quæ non extabunt, niſi fodatur terra, quò vbi peruentum eſt; fundamenta iaciũt, parietes erigũt, tectum extruũt, totumq́; tandem ædificium abſoluũt. Sic hiſtorico primùm conſiderandum eſt hiſtoriæ argumentum, illudq. iudicio eligendum, deinde in partes diuidendum, mox partes diſtinguendæ, poſtremò tota hiſtoriæ narratio verborum ac ſententiarum cultu illuſtranda eſt, quæ vt magna ſunt, & difficilia, ſic ſingula iudicij, prudẽtiæ, & conſilij ope indigere videntur. Prudentiæ quoq. ordo hiſtoriæ ſcribendæ vtiliſsimus eſt, eſt enim methodus, qua habetur ratio loci, temporis, & perſonarum, eſt dux & miniſtra hiſtoricorum, qui tẽpora ac loca aptè diſtingũt, atq. perpendũt, quid cuiq. perſonæ tribuant, ne imprudẽter alterum altero metiantur. In rebus ergo narrandis primùm tẽporis ordo ſeruãdus eſt, vt nihil inuertatur, nihil immutetur, nihil præponatur,

non

Quo modo res narrādę ſint habita v niustem poris ra tione.

non quòd neceſſe ſit ſingula certo quodam tempore, certis annis, certiſq; diebus diſtinguere, ſed quòd ita oporteat rerum varietatem temporibus ſecernere, vt omnia eodem temporis tractu, nulla facta intermiſſione accidiſſe ipſa narrationis connexio oſtēdere videatur, ita Titus Liuius totam narrationem proſequitur, vt omnia eodē temporum tractu nulla facta intermiſſione accidiſſe ſuſpicemur; niſi quando breuis à narratione digreſſio, id rerū natura poſtulante, quaſi per tranſennam tempora diſtinguit, quod, rerum Romanarum collatione cum exterarum gentium rebus, facit hoc modo: Eodem anno Alexandriā in Ægipto proditur conditam: Alexandrumq; Epyri Regem ab exule Lucano interfectum, ſortes Dedonæi Iouis affirmaſſe. Idem alibi non ita tempus diſtinguit, vt expreſſe notet, quibus temporibus, quæ ſibi deinde ſcribēda ſint acciderint; ſed quaſi omnia eodem temporis ſpatio eueniſſent, tempus per res populi Romani nulla intermiſſione facta hoc modo notauit. Liberi iam hinc populi Romani, res pace belloq; geſtas, annuos magiſtratus, imperiaq; legum potentiora, quàm hominum peragam. Eodem modo locorum, in quibus ſingula, quæ narrantur, geſta ſunt ratio habenda

Lib. 8.

Lib. 2.

benda eſt, vt ea diſtinctione intellectus res facilius percipiat, ac memoria eo ſolatio refecta, firmius diutiusq; retineat: his adde, quòd ea locorum annotatione res ipſæ, quæ narrātur, magnoperè illuſtrantur. Cùm verò præclarè geſta, vel terra, vel mari contingant; vtriuſq; loci & regionis natura cognoſcenda eſt, & maris terraq. deſcriptiones tenendæ quales; paßim repetuntur à Coſmographis, qui ab adiunctis mare deſcribunt, nempe à littoribus, inſulis, portibus, promontorijs, acceßibus, & receßibus, ſirtibus, locorum interuallis à tutis vel periculoſis nauigationibus. Fit etiā aliquandò, vt pericula ipſa nauigationū proponātur, veluti cautes, ſilices, mōtes, arenæ, ſcillæ, Charybdes, uertigines, quæ mare quieto nauigia ſubitò abſorbūt, cuius rei rationē reddit Ariſtoteles: Echenei piſciculi, qui nauē remorātur, dicti ob id remora, qua detētione efficiūt, vt plerūq. naues ſubmergātur, quemadmodū tradūt Plinius, Ariſtoteles, Cardanus, & Bellonus: atq. id genus alia multa pericula, quæ acuratè recēſet, Pollux, Rauiſius et Textor, quæ omnia rerū maritimarū, locorū, vētorūq; cognitio, ac peritia cautè prouidèq; vitabūt. Regiones verò deſcribūtur à cæli clementia, aeris tēperie, loci

Mare quomodo deſcribatur ab hiſtoricis

lecto.23. quæſt.5. problē.

Pli.li.9. c 25. & li 32. ca. 1.

Ariſ.li. 2 ca.14. de hiſt. animal.

Carda.li.7.c. 37. de rerū varie.

Bello. in li. de piſcibus.

Pollux. li.1. c.9.

Text. in of.c. dē pericu. mariti.

Regio quomodo dſcribenda ſit ab hiſtorico.

loci ſalubrietate, à terminis à munitis caſtellis, à climate, à planetis, quibus ſubijciuntur; à montibus, vel planitie terræ, à mare vicino, & portu; vnde opes, & rerum, quæ importantur, multitudo; aut remoto; vnde procul abſunt omnia pericula pyratarum, & vitia, quibus conuenarum colluuies laborare ſolet, à paludibus, & lacubus, à fluminibus, piſcibus abundantibus, & irrigandis agris mercibuſq́ ſubuehendis, aptiſſimis; à ſylbis, gentium communitatibus, ciuitatibus, & villis. Quod ſi expugnanda, aut obceſſa ciuitas deſcribenda ſit, poterit à conditore, vetuſtate, ſitu, loco, à terræ cultura, fontibus, hortis, priſtinis, vbertate agrorum, omni genere frugum, fructuum, & oleorum toto anno prouenientium, à plantis, à gregibus, armentis, equis, ab aquæ ductibus, pontibus, turribus, manijs, muris, plateis, templis, ædiũ altitudine, domicilijs pauperum, cænobijs monachorum, virginumq́ veſtalium, à ciuibus, Academijs, opificum multitudine. Aliquando ipſam vrbium expugnationem narratione complectimur, & eleganti deſcriptione omnia in ſumma ante legentium oculos ponimus; quæ in ſimili excidio & fortuna euenire ſolent, quod hoc exemplo docet Quintilianus:

Deſcriptio ciuitatũ quomodo fieri debeat.

Appare-

Apparebant, inquit; effuſa per domos ac templa flamma, & ruentium tectorum fragor, & ex diuerſis clamoribus vnus quidem ſonus, aliorum fuga incerta: alij in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantium fœminarumq; ploratus, male in illum vſq; diem ſeruati fato ſenes, tum illa profanorum ſacrorumq. direptio, efferentium prædas, repetentiumq. diſcurſus, & ante ſuum quiq. prædonem cadenati, & conata mater infantem ſuum retinere. Hactenus Quintilianus: cuius verbis hæc nos ſubiūgere poſſumus; piaculum erat videre hoſtes ciuium calamitate, & de parta victoria lætos, & alacres volitare, domeſtica diripere, publica depeculari, antiquiſſima templa Deo Opti. Max. extructa, atq; dicata ſacrilega manu deprædari, extremū periculum, interitumq. omnibus moliri, inſidias ſtruere, omnia deniq. tam diuina, quàm humana, tam ſacra, quā profana violare, vexare, euertere, & in iactitandis malis comittendiſq. flagitijs, nec minimo quidem tempore deſiſtere. Mōtes quoq. non raro ab hiſtoricis deſcribuntur à magnitudine, longitudine, latitudine, fontibus, ſpeluncis, radicibus, animalium copia; à pabulis, gregibus, armentis, varietate herbarum,

Vrbis expugnatio quomodo deſcribēda.

Rātiō deſcribēdorum montiū.

&

& arborum, à rebus raris, nouis & prodigioſis, quæ, qui probè non noſcat, obſcurè errorisq; plenam hiſtoriam, non illuſtrem, & dilucidam exhibebit. Iam regionis deſcribendæ exemplum tradit Cæſar, res à ſe geſtas in Gallia narraturus, qui à Gallicæ regionis deſcriptione ſic exorſus eſt: Gallia eſt omnis diuiſſa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur &c. Habes etiam regionis deſcribẽdæ exemplum apud Oſſorium, qui Chinam regionem ſanè latiſsimam diſſertè nobis deſcripſit, cuius exemplum per hiſtoriæ partes copioſe diffuſum eſt. Cæterum quia rectè deſcribendi præcepta hiſtorico cum oratore ſunt cõmunia, ſi noſtrũ velis exemplum, ſic nos Hiſpaniam deſcripſimus in Oratione, quam habuimus in Cæſarauguſtana Academia anno. M.D.Lxxxiiij. quam anno. M.D. Lxxxvij. Illuſtriſsimo D.D. Petro Cerbunæ Turiaſſonenſi Epiſcopo dicatã adidimus: Conſtituta ea eſt in Hiſpania regione Europæ præſtantiſsima, cuius Orientale, & Septentrionale latus Pyrinei montes vndequaq; includũt; reliquæ verò partes vſq; ad Herculeas Gades, & Borealem Oceanum protenduntur, ita, vt quæ

Initio libr. 1.

Exẽplũ noſtrũ quo Hiſpaniam deſcripſimus.

quæ eò montium, & Oceàni ambitu continentur, latitudine, & longitudine ſatis ampla, atq; extenſa, quaſi quendam per ſe orbem facientia, ad Hiſpaniam ipſam ſpectent. Auriferi, & nauigabiles complures fluuij interfluūt, nec æſtibus obnoxia, nec frigoribus ſubiecta media temperie Hiſpania confouetur: ſuaues Zephyri molles auras exſuſcitant. Ælyſij campi delitiarū, & omnis amænitatis referti proſpiciūtur, quos fælices animas incolere Poëtæ decantarūt: partim quarto, partim quinto cæli climati ſubiacet, quæ duo cæteris eſſe tēperantiora Philoſophi, & Mathematici tradiderunt. Hæc in omni virtutum genere viros admirabiles protulit, qui fortitudine ac potentia, aliiſq; corporis, & animi dotibus cæterarum nationum gentibus præſtiterunt. Hæc Imperatorum, & Romanorum Pontificum mater Neruam, Trajanum, Adrianum, ac Theodoſium Jmperio Romano Imperatores: Apoſtolicæ verò ſædi Damaſum, Ioannem XXII. Calixtum III. & Alexandrum VI. procreauit. Hæc agricolarum induſtria, & opificum ſolertia adeò eſt ferax frugum, vini optimi, mellis, olei, aliorumq; fructuum, & omnium rerum bonarū fertilis; vt aduerſo quantumuis cælo lautè viuatur: nec annona deficiat; veſtimētorū verò ac do

meſticæ ſupellectilis copia, nuſquam alibi maior, aut elegãtior reperiatur. Maris verò deſcriptionẽ leges apud Juliũ Cæſarẽ, vbi in expeditione in Britaniã, nauigationem Inſulãq; cũ mari eruditè deſcripſit. Ciuitatis autẽ deſcriptionẽ habes apud Liuiũ ad hũc modũ de Scipione loquẽtẽ: ibi quibuſdã ſuadentibus, vt quoniã in tres tã diuerſas regiones diſceßiſſent Punici exercitus, proximũ aggrederetur; periculũ eſſe ratus, ne eo facto in vnũ omnes contraheret, nec par eßet vnus tot exercitibus, Carthaginẽ nouã oppugnare ſtatuit, vrbẽ cũ ipſam oppulentã ſuis opibus, tũ hoſtiũ omni bellico apparatu plenã (ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hiſpaniæ obſides erant) ſitã præterea cùm opportunè ad traiiciendum in Aphricam, tũ ſuper portũ ſatis amplum quate nus claßi, & neſcio an vnũ in hiſpaniæ ora, quà noſtro adiacet mari. Deſcriptionũ duarũ vrbiũ Patauij ſcilicet, & Venetiarũ exempla ſcripſit Marcus Antonius Sabellicus ad hũc modũ Titũ Liuiũ à patria laudatur⁹. Nũc, inquit, quòd ad patriã attinet, quid ſecũdũ Romã fuit olim tota Italia Patauio clarius? cuius vrbis, ſi originẽ quæras, ab Ilio eſt, ſi auctorẽ originis, Antenor cõdidit Troianorũ poſt Priamum celeberrimus: ſi opes, cẽtũ & amplius hominũ millia olim miſit

Lib. 5.

Lib. 36.

In Annota. in Liui.

ad

ad bellũ,CCCC.æqueſtris ordinis ex ſuo corpore cẽſuit;ſi eruditionẽ,omniũ bonarũ artiũ eſt hodie domiciliũ,& apud omnes maximũ eſt,maximèq́; cõſpicuũ,cũ per hæc ſatis eſſet nobilis, clariſſimo Liuij partu multò facta eſt nobilior. Ab Ilio eſt Patauiũ,ex Patauio inclyta Venetia,præcipuũ hodie maris terrarũq́; decus,Chriſtiani nominis, ne orbis dicã ſpecimẽ,cuius ſtupẽdus ſitus alternis naturæ vicibus,neſcias,cõmodior ſit colentibus, an ſalubrior,an ab omni externa iniuria tutior. Trãſeo magnificentiſſimæ vrbis apparatũ,tẽpla, areas,põtes,porticus,cõciliabula, ædificia ſumptuoſiora publica,& priuata,ſacra, & profana, quibus plùs penè auri ineſt,quàm tectorij.Trãſeo omniũ gẽtiũ cõmertia,ciuiũ egreſſũ,ſtatũ, virorũ,& mulierũ cultũ,ingeniorũ præſtãtiã,morũ ſanctitatẽ;vt planè affirmare audeã,aut hãc vrbẽ eſſe in toto orbe præſtãtiſſimã, aut nullã aliã inueniri,quæ illi cultu,virtute,& opibus præferri poſſit. Nec modicæ fœlicitatis duxerim, aliquẽ in præclara ciuitate naſci: Plato cuius auctoritatẽ ſequor libẽtiſſimè,vel quia ſapientiſſimus fuit,vt inter omnes cõſtat, vel quòd veritatis amiciſſimus,inter pauca,quibus eſt naturæ gratulatus,eo nomine illi gratias egiſſe fertur,quòd Athenis potiùs quàm alibi natus eſſet. Et Liuio

talis cõtigit patria, quali neq; maior, neq; illu-
ſtrior, niſi Romæ natus eſſet, in Italia cõtingere
ea tẽpeſtate potuiſſet. Vrbis noſtræ Cæſarauguſta
næ deſcriptionẽ, ſi vellis, ſic nos eã (oratorio tamẽ
genere dicẽdi ſublimi) deſcripſimus: Dici Cæſa
rauguſta iã poteſt vera quædam imago pulcher
rimæ ciuitatis, quæ nuſquam alienas leges, & po
teſtatẽ ſenſit, ſed ſua ſemper iuſtitia, ciuiũ virtu
te atq; cõcordia, fælicẽ illã ab initio partã liber-
tatẽ conſeruauit. Quæ cæli clementia, aëris tẽ-
periè, agrorum vbertate, puteorũ multitudine,
temperatura, ſalubritate, amenitate regionis,
merciũ copia, omniũ, quæ importãtur, et exportã
tur, rerũ multitudine, legibus, maiorũ exemplis,
omni deniq; virtutis genere vna facilè omnibus
antecellit. Quæ tãquã propugnaculũ publicæ li
bertatis in nobiliſsima Iberiæ parte, in lectiſsimo
Aragoniæ Regno, ſub quinto cæli climate, gra-
du quadrageſsimoprimo, (vt Roma,) ad profu-
giũ bonorũ omniũ tutelamq; religionis fuit pul-
cherrimè conſtituta. Vnde nõ ambiguè credide-
rim, nõ ab Octauiano Cæſare Auguſto, dũ eſſet
cũ Agrippa in expeditione belli Cantabrici (vt
vetera monumẽta tradiderũt) ſed ab ipſo im-
mortali Deo ab initio conditam, vt eius fidem,
his

In eadẽ oratione.

Exemplũ noſtrũquo Cæſarauguſtanam vrbem deſcripſimus.

his miſeris religionis temporibus periclitaturã, munita Inquiſitionis officio ſuis humeris ſuſtentaret. Qui enim paulò attentiùs contempletur Cæſaraugustæ ſitum intra Iberum, Salonem, Galliacum, & Orbã iucundiſſima flumina, quæ omni rerum copia exuberantem reddidere, ſacras ædes, marmorea templa, Eccleſias duas, Cathedralem vnam, alteram Collegialem, ampla palatia, magnifica ciuium ædificia, turres cælo propemodum adæquatas, tanto omnia ordine, & arte constructa, non hominum ingeniis, ſed Dei ipſius nutu confecta iudicabit. Quorſum iam ergo appellem hanc vrbem florem Hiſpaniæ, ornamentum Europæ, ampliſſimum orbis terrarum theatrum? Quorſum publicarum viarum magnificentiam, priuatarum ædium ornatum, admirabilem cancellorũ præſtantiam collaudem? quorum ea ratio eſt, vt hæc vna in terris ciuitas, ad decus, ad voluptatem, ad æternitatem cõdita videatur. Quorſum iuſtitiæ, fidei, religionis, ac rerum publicarum curam extollam? quibus nõ minorem ipſa ſibi, quàm libertatis, & imperij diuturna conſeruatione gloriam comparauit. Hæc autem locorũ, regionum, ciuitatumq́; deſcriptiones Græcè dicuntur Topographia, quæ

ſit quoties oculis ſpectandas depingimus regiones, vrbes, montes, portus, ædificia: quarum rerũ deſcribendarum vſus hiſtoricis frequentiſsimus eſt, his præſertim, qui narrandi gratia de ſitu orbis diſſeruerunt. Poëtis verò, quorum officium eſt delectare, nihil magis eſt vſitatum, quòd hoc cũ hiſtoricis ſtudiũ cõmune habeãt, vt animos deliniant, & ad auferendam moleſtiã iucũditatẽ afferãt; vnde Ouidi. ſic Siciliam deſcripſit:

Lib. 13. Metha. *Sicaniã: tribus hæc excurrit in æquora linguis*
E quib⁹ imbiferos verſa eſt Pachinos ad auſtros,
Mollibus expoſitũ Zephyris Lilybeõ ad Arctos
Æquoris expertes, ſpectat Boreamq́; peloros.

Talis eſt deſcriptio Carthaginis apud Virgiliũ

Li. 1. Æneid. *Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni*
Carthago Jtaliã contra, Tyberinaq́; longè
Oſtia, diues opũ, ſtudiisq́; aſperrima belli;
Quã Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Poſthabita coluiſſe Samo.

Et illa pulcherrima portus deſcriptio, quam tãquàm in tabella nobis ſpectandam ſubiecit.

Æneid. 1 *Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum*
Efficit obiectu laterũ, quibus omnis ab alto
Frãgitur, inq́; ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.
Hinc atq́; hinc vaſtæ rupes, geminiq́; minãtur

In

In cælum ſcopuli;quorum ſub vertice latè
Æquora tuta ſilent,tū Syluis ſcena coruſcis
Deſuper horrētiq.atrū,nem⁹ imminet vmbra:
Frōte ſubaduerſa ſcopulis pendētibus antrū,
Intus aquæ dulces,viuoq.ſedilia ſaxo,
Nimpharū domus.Hic feſſas nō vincula naues
Vlla tenent,vnco non alligant ancora morſu

Ædificia etiam magnifica aliquādo in hiſtoria rum narrationibus deſcribuntur; quomodo Lucius Marineus Siculus rerum noſtrarum hiſtoricus Salmanticenſis Academiæ gymnaſium his verbis deſcripſit: Gymnaſium Salmantinum domus eſt magna,pulchraq. & formæ triangularis,vnde atrium habetur quadratum:atrij verò tecta ſunt arte elaborata, aurea,variaq. pictura ornata;arcus ex candido lapide vnus, & triginta fulciunt. Poſt ſub Ioue impluuium eſt, intus verò auditoria numero octo ſunt, quæ ſub geſtis firmiſq.ſubſelliis ornantur:eſt etiam illuſtriſsimum Sacellum laquearibus aureis conſpicuum,vbi res diuina celebratur, Gymnaſiiq. pecunia velut ærario cuſtoditur;atq. cōſilia à rectore,& cōſiliariis,alijſq. gubernatoribus habētur. At ſupra hūc locū inſignis eſt Bibliotheca in cuius tectum cælum ſtelliferum,ac ſydera,cunctaq.

ſigna cæleſtia ſumma cum voluptate ſpectantiū cernuntur: Tectum verò ipſum totum vndiq; lapideo clauditur ædificio, feneſtræ deniq; ſpecularibus clauſæ lapidibus lucem præbent. Tum antè Bibliothecæ ianuam deambulandi pulcherrimus eſt locus. Præterea totius Academiæ geminæ ſunt portæ, quarum altera orientem altera occidentem ſpectat. Sunt & alia quoq; gymnaſia non longè, quæ minora vocantur, in quibus Grammaticæ præcepta à publicis magiſtris traduntur. Hîc etiam Dialecticæ docendæ pulcherrimum auditorum erectum eſt, cui proximum eſt hoſpitium pauperum ſtudentium. Profeßiones autem huius Academiæ, primæ ſunt Theologiæ, rerumq; diuinarum quinq;, in quibus vna eſt ſermonis Hæbraici, atq; alia pſalterÿ, iuris enim pontificÿ ſex ſunt; ciuilis autem ſeptem. Porrò Philoſophiæ quatuor, quarum vna mores, aliæ verò rerum naturas edocent. Medicinæ tres; de ſyderum motu, & cognitione vna, Græcæ linguæ item vna, Grammaticæ quatuor, item aliæ priuatæ plures. Sunt itaq; infiniti penè Doctores; legēdi autem temporis initium tertiodecimo chalendas Nouembris; pridie namq. diei ſancti Lucæ re diuina diligenter peracta, de litera-

litterarum commendatione frequenti cætu habetur Oratio: die autem craſtino alij ad exponendas, alij ad audiendas ſeſe lectiones accingunt. Apud poetas paſsim magnificarum ædium exempla legũtur, ſic Solis Regiam ex auro & Pyropo confectam, & ſomnij ſedem deſcribit Ouidius; Inferorum & Caci domum Virgil. & alij etiam ſcriptores, vt Regiam pſychem Apuleius, domum ſumptuoſam Lucianus. Perſonæ etiam crebrò in hiſtoria deſcribuntur, tam regum, quã clarorum virorum, qui ſe pro victoria & communi patriæ ſalute in diſcrimen capitis, ac vitæ periculum intulerunt. Laudariq; ſolent à genere, natione, patria, forma bona, rebus præclarè geſtis, ſcientijs, virtutibus, habitu, morte, alijsq. naturæ, corporis, aut fortunæ bonis. Plutarchus hoc modo Demetriũ deſcripſit: Demetrius procera fuit ſtatura, forma, oriſq. pulchritudine vſq. adeo egregia atq. præſtanti; vt pictorum aut ſculptorum nemo fuerit inuentus, qui ſimilẽ vnquam potuerit effingere: nam lepòrem quendam habebat, beneuolentiaq. omnium ſibi animos conciliabat, terrorem incutiebat, grauitatem regiã & manſuetudinem quandam domeſticam præſeferebat; concurrebatq. cum iuuenili & præla

Ouid. libro.12. Metha. Idem li. 11. ſomnij ſedẽ. Virg. li. 6.&.8. Apule. lib.5. Aſini aurei

Quo modo perſonæ deſcribẽdæ ſint. In vita Demetrij.

to vultus aſpectu;ſplendor cunctis admirabilis, regia quadam dignitate coniunctus:itaq́; natus factusq́; videbatur ad terrorem, ſtuporemq́; ſimul, & hominum gratiam concitandam. Erat autem cum per otium feſta,ludi,potationes, & conuiuia celebrabantur,& delicatiſsimus,& regum omnium facetiſsimus. Cum verò res ſeria agebatur, aut pernitioſa intendebatur, laborum erat patientiſsimus, ingenijq́; præſtantia longo interuallo cæteros antecellebat. Habes quoq́; apud Thucididem inſignem Themiſtoclis

Lib.1. deſcriptionem his verbis:Erat Themiſtocles firmiſsimo naturæ robore præditus,ob idq́; apud omnes merito eximia admiratione fuit: ſuopte enim ingenio, quod doctrina neq́; exercuerat, neq. auxerat, præſentium, & improuiſarum rerum breuiſsima deliberatione egregius erat æſtimator:futura autem nemo vnquam vel longius, vel certius proſpexit. Quæ tenebat,& quæ mani bus habebat explicare potens erat;dubia verò & incerta, quoad comprehendiſſet, non quieſcebat in rerum delectu;quo facto,quouè præterito, in quo opus eſſet vllis indicijs, erat oculatiſsimus. De quacunq. re incidiſſet ſermo,dicebat ſo lius naturæ bonitate,negligentiſſimè meditatus;

quem

quem nemo quiſquam extemporali in rebus neceſſarijs vſu vicit. Idem Periclem ad hunc modum depinxit: Pollebat Pericles cùm dignitate, tùm conſilio, minimè omnium pecunia expugnabilis: plebem in officio liberaliter retinebat; neq. verò ex eius voluntate pendebat, ſed eam ſibi parere cogebat. Nam cùm bonis artibus potentiam adeptus eſſet, non erat cur aſſentaretur multitudini: eamq. ſæpe offendebat etiam cum auctoritate refragaretur. Proinde ſi quando temere eam audere animaduertit, metu incuſſo dicendo repreßit; contra ſtultè formidãtibus animum reſtituit; videbaturq. in ſpeciem ſumma rerum penes populum eſſe, verum re ipſa penes vnũ Periclem erat. Si exemplũ noſtrũ deſideres, ſic à rebus geſtis Calorũ. V. Imperatorẽ maximum deſcripſimus in ea Oratione, quã in ipſis Academiæ Cæſaraugustanæ inſtaurationis primordijs, magna adſtãte lectißimorũ hominũ frequẽtia habuimus: Erat Carolus. V. mediocri corporis ſtatura, facie gracili & ad aſpectum iucunda, colore lacteo, ſerena ac plane regia frõte, barba et capillis flauis, lateribus firmis, agilitate præſtans, omnium, quos ætas illa tuliſſet, prudẽtißimus. Magnum profecto Oceanum ingrederer ſi heroicas vir-

lib. 2

Eemplũ noſtrũ, quo Carolum. V. Imperatorem deſcripſimus.

virtutes non hominis, ſed numinis cuiuſdam diuini defeſſo iam orationis curſu vellem recenſere: in quem ſic ſuas dotes Gratiæ contulerũt, vt Numam religione, Æneam pietate, Regulum fide, Radamanthum iudicio, Solonem prudentia, Licurgum conſilio, Auguſtum iuſtitia, Cæſarem Clementia, Catonem grauitate, Annibalem ſtratagemate, Alexandrum magnanimitate, Cleanthum labore, Appollonium temperantia, Trajanum bonitate, omneſq; alios principes aliarum virtutum præſtantia ſuperaret. Captum Franciſcum Galliæ Regem, non vt hoſtem tractauit, ſed vt amicum honeſtis conditionibus dimiſſum Regno ſuo reſtituit, & quo arctius ſibi eius amorem conciliaret propriam ſororem eius connubio clementer adiunxit. Saxoniæ ducem & Lanſgraue, qui in eum grauiter deliquerunt, bello longiſsimo ſuperatos, multis beneficijs affectos perpetuo ſibi clementiæ vinculo deuinxit; in ſummum etiam Pontificem Clementem ea clementia micuit, ex qua facilè intellexit, præter eius voluntatem factum fuiſſe, quicquid ei damni ex atroci Borboni victoria accidiſſet, quaſi aduerſæ eius fortunæ eum maximè pœniteret. Prætereo quàm numeroſo exercitu Solimano

143

limano Turcarum tyranno Germaniam aggre dienti fortiter ſemper obſtiterit. Omitto (quòd nõ poßint res tantæ breuibus orationis finibus ter minari) glorioſam illam victoriam, qua Tuneta no Regno, & rege capto, vno die ſex mille Chri-ſtianos ex impij tyranni faucibus eripuit, eorũq; animas ab æterno periculo vindicauit. Taceo quanto exercitu columnas Herculeas (quod nemini ante id tempus contigerat) non modo attigerit, ſed hanc metam PLVS VLTRA dilatarit. Quibus & alijs ſimilibus potitus triũ phis, cum turpe ſibi videretur, eum, qui tot tantisq. claruiſſet victorijs, proprias cupiditates non eadem conſtantia vincere poſſe; imperium fra tri ſuo amantißimo Ferdinando, filio autẽ Philippo Anglorum eo tempore Regi, hæreditaria Regna ea hilaritate reſignauit, ac ſi numquam ſua, ſed aliena, & ſuæ tantum cuſtodiæ ab eis demandata fuiſſent. Tandem repulſo à Viena Tur ca, capto Rege Francorum, ſuperato Saxone, victa Aphrica, ſubiecta Italia, pacatis Gandauis, pugnatis Indis, PLVS VLTRA quàm Hercules gloria dilatata, ſe in diui Hiero nymi monaſterium recluſit, vbi vitam laudabi liter actam, poſt triennium, aut paulò plus eo,

minus

minuſuè, non minus laudabili morte finiuit. Si ergo virtus animi, ſi obſeruatio recti, ſi religionis, iuſti, æquitatis cultus, ſi fides, ſi integritas, ſi quæ cum pietate aguntur, beatam mortem efficiunt, non eſt quod dubitemus, quin ſelecta illa anima corporis nexum fœliciter reliquerit, & ad cæleſtes ſedes ſempiternis fruitura gaudijs euolarit. Similes deſcriptiones apud hiſtoricos reperiuntur paßim innumeræ, quæ ad mores, & ad eloquentiam plurimùm conducunt, quando vice ſpectaculi ita res ſpectandæ ſubijciuntur, vt ipſemet ſpectari, non legi, aut audiri videantur: qualis eſt elegantißima illa Mar. Portij Catonis deſcriptio, qua Titus Liuius grauißimæ perſonæ veram ſimilitudinem & imaginem elegan
lib. 39. *ter expreſſit hoc modo; In hoc viro, inquit, tanta vis animi ingenijq́; fuit, vt quocunq́; loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur, nulla ars neq́; priuatæ, neq́; publicæ rei gerendæ ei defuit, vrbanas ruſticasq́; res pariter callebat: ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militari prouexit. Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceres quodcunq́; ageret: in bello manu fortißimus, multisq́; inſignibus clarus*

pugnis, idem poſteaquàm ad magnos honores peruenit ſummus imperator; idem in pace ſi ius conſuleres peritiſſimus; ſi cauſa oranda eſſet eloquentiſſimus; nec is tantum cuius lingua viuo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet; viuit imò, vigetq. eloquentia eius ſacrata ſcriptis omnis generis. Orationes & pro ſe multa, & pro alijs & in alios &c. Apud Poætas quoq., quamplurima harum deſcriptionum exempla leguntur; qualis eſt faceta illa Afræ fæmina deſcriptio apud Virgilium. In Mureto.

Interea clamat Cibale; Hæc erat vnica cuſtos.
Afra genus, tota patriam teſtante figura,
Torta comã, labroq́; tumens, & fuſca colore,
Pectore lata, iacens mammis, cõpraſsior aluo,
Cruribus exilis, ſpatioſa prodiga planta,
Continuis rimis calcania ſciſſa rigebant.

Fit etiam plerunq́;, vt animalia rationis expertia deſcribantur, cuius rei elegans reperitur exẽplum apud Carolum Langolium, qui Furiæ imaginem Carolo.V. ab Indorum Rege dono miſſam, quam tanquam inferorum Deam Indi coluerunt, hoc modo expreſſit: Lignea, inquit, eſt eius Libr.2. Epiſt.

perſo

perſona, ſed cui tenuiſsimum vermiculati operis emblema ita inductum ſit, vt penicillo depicta, non gemmeis Teſſelis ornata videatur. Mētum, ſuperiusq. & inferius labrum Cyanei lapilli ſegmentis enitent. Naſus, genæ, mammæ, buccæ, ſaphiri, micis ſplendent; ſupercilia à fronte tenui ex iaſpide tenia diſtinguntur. Frontem latior è ſmaragdo faſcia præcingit, quæ ſecundum aures leuiter demiſſa ad mentum vſq. vtrinq. porrigatur. Os hians dentes oſtentat quatuor, latos, continuos, candidos, ac item duos, qui rictum hinc atq. hinc claudant, exertos, nec à prugnis abſimiles, eburnei quoq. oculorum orbes, ex electro ruffa feneſtrantur pupilla, ſpeculi vim tam aſolutam reddente illa, vt totam hominis imaginem exprimat, atq. repreſentet, quæ ad ſuperciliorum, & naſi commeſſuras ſubſides lacuna, ea verò eburneola bulla expletur. Tempora autem iiſdem, quibus oculi, electrinis ſpeculis illuſtrantur; ſed teretibus his non orbiculatis. Auriculæ pro perſonæ modo grandiores, ex iaſpide efulgent. Omnino res viſenda quidem illa, ſed extructura potiùs, et opum magnitudine, quam vlla liberalis faciei dignitate. Iam verò cum res, quæ narrantur, ab aliquo origine initium

tium duxiſſe neceſſe ſit, non ſolùm locorum, temporum, rerumq́; ratio habenda erit, ſed cauſæ, & conſilia bellorũ exponẽda, à quibus ipſa bella manarunt, quæ (vt dixit Plato) tot erunt, quot fuerint bellorum occaſiones; Nam ſi virtus eſt in hiſtoria maxima, ne aliquid magnum, intelligẽtia dignum, vel ipſi narrationi neceſſariũ relinquatur, quò minus plenè, quæ acciderunt, hominum memoriæ mandentur, & inhæreant; certè vitium ſummum erit, cauſas, & conſilia belli (veluti cupiditates vlciſcendi iniurias, dominãdi alienis, propria amiſſa recuperandi) ſilẽtio prætерire: quæ homines ad deponendam pacem, ſumendaq́; arma ſolẽt concitare. Quomodo Titus Liuius ſecundi belli Punici cauſas ita explorauit: Odiis etiam propè maioribus certarũt, quã viribus, Romanis indignantibus, quòd victoribus victi vltrò inferrent arma: Pœnis quòd ſuperbè, auarèq. crederent, imperitatum victis eſſe. Fama etiã eſt Annibalem annorũ ferme nouẽ pueriliter blãdiẽtẽ patri Amilcari, vt duceretur in Hiſpaniã, cũ perfecto Africo bello, exercitum eò traiecturus ſacrificaret, altaribus admotũ, tactis ſacris iureiurando adactum, ſe, cum primũ poſſet, hoſtem fore populi Romani. Angebat

Lib.2.de Repub.

Cauſas, & conſilia, à quibus bella manarũt, eſſe in hiſtoria diligẽter notanda.

Li.3. ab vrbe cond.

ingentis ſpiritus virum Sicilia, Sardiniaq. amiſſa. Nam & Siciliam nimis celeri deſperatione rerum conceſſam, et Sardiniam inter motũ Africa fraude Romanorum, ſtipendio etiam ſuperimpoſito interceptam. Conſilia minus etiam intermittenda ſunt, quibus deliberatum fuerit, fore bellum inferendum, veluti propter aditum ad hoſtes facilem, apparatum rerum bellicarum ſatis inſignem, propter armorum omnis generis, machinarum, triremium, quadriremiũ, nauiũ longarum amplam copiam, & ærarij pecuniam, in qua bellorum nerui conſiſtunt, propter veteranorum militum affectus, tironum ad pugnandũ celeres motus, propter patẽtes obſidiones, aliaſq; commoditates, quibus bella illaturi ad arma ſumenda potiſſimum inducuntur. Sic apud Saluſtium Catilina, vt coniuratos ad futurum bellum incenderet, conſilia ſua, & commoditates victoriæ longiſſima oratione patefecit; cuius initium tantum tranſcribam, ne ſi totam orationem repetam, legentium animos nimia prolixitate offendam. Saluſtij verba talia ſunt: Catilina vbi eos, quos paulò antea memoraui, conueniſſe videt, tametſi cum ſingulis multa ſæpe egerat, tamen in rem fore credens, vniuerſos appellare

In bello Catili.

-lare,& cohortari,in abditam partem ædium ſecedit: atq; ibi omnibus arbitris procul amotis,orationem huiuſmodi habuit,&c. Notare etiam interit acta,& euēta rerum in hiſtoriam cadentium, quæ plerunq. ad iucunditatem animos alliciunt,veluti clades,neces,depopulationes,triũphos, trophæa, & id genus præmia,quæ ducibus ac militibus ſtrenuè certantibus conceduntur. Cladis exemplum habes apud Iuſtinum, Ammianum Marcellinum, Freculphum,& Iuliũ Frontinum,qui memorant, tãtam feciſſe ſtragẽ Tomirim Maſſagetarum Reginã,quò filij mortem vlciſceretur,vt ex toto Cyri Regis Perſarum exercitu,ex immenſa militum multitudine,nec vnum quidem hominem viuum reliquerit,qui aliô nuntium defferret;neq; tanta clade contenta,Cyri Regis caput in vtrẽ humano ſanguine plenum coniecit,dicens: Satia te ſanguine, quem ſitiuiſti. Sic nos in ea Oratione, quàm Ius ciuile interpretaturi in hac Academia diximus,clades à Turcis Europæ illatas ad hũc modũ deplorauimus: Europa illa (illa inquã Europa) cui omnibus antea ſæculis Aſia præda fuerat,tulit,heu dolor,fortuna,vt Aſia præda redderetur. Cùm enim initio quendã,neſcio quẽ an-

Acta, euēta, clades, dõ populationes, triũphos, & alia præmia eſſe in hiſtoria ac curatè notãda.

Iuſtinus lib. 1.
Ammi. lib. 32.
Frecul. to. 1 lib. 3. c. 18.
Fronti. lib. 2.

Exẽplũ noſtrũ, quo clades notauimus vniuerſæ Europę à Turcis illatas.

gulum iuxta Helleſpontum occuparēt Chriſtiani nominis euerſores, ſenſim deinde perfidia, magis quàm armis, quod cæperant propagarūt, atq; auxerunt; quouſq; aperto Marte principem illam vrbium, Imperijq. receptaculum Conſtantinopolim ſuſtulerunt. Sic Thraces euerſos, deletos, Macedones, Ætolos ſuis ſedibus pulſos miſerè perdolemus. Noſtra erat Myſia, noſtra Peloponeſus, nūc autem Rege prioris trucidato, poſterioris decepto, vtraq. potiuntur. Atq. vt reliqua taceam iniquè erga nos cogitata, crudelius acta, veluti ereptam nobis Syriam, Phænicem, Ægyptum, ſpoliatos nos eſſe Aſia, eiectos Aphrica, & Mauritania: ſæpè emiſsis ſuſpiriis, effuſiſq. lachrymis dolere magis ſoleo, eò effrenata libidine, ac rabie perueniſſe, vt ſuperatis Alpibus in Cæſaris prouintias irrepſerint, ferro omnia, flāmaq. diruentes; ac per Tauriſcos, & Moricos reuertentes, ante ipſas Italiæ fores, antè Italiæ oculos innumerabilem omnis ſexus perſonarum, omniumq. rerum prædam traxerint. Neq. his malis contenti, poſtea in Italiam reuerſi, Liburnos, & Iſtros, nihil tale metuentes, ac miſeras illas finitimas regiones, quæ non minùs Italiæ nomine, quàm Alpium

altitu-

altitudine ſe tutas eſſe putabant, cædibus, incendiis, rapinis, crudeliter deuaſtarunt, &c. De populationum, & captiuorum exempla in bello Canenſi poſt Annibalis in Italiam aduentum, habes apud Liuium multa. Præmia etiam eorum, qui aliquid magnũ cum laude aggreſſi ſunt, in hiſtoria recenſere laudabile erit: Quæ quidem apud Romanos varia fuerunt; potiora verò triũphi, qui duplices erãt, Magni, & Ouales. Magnos his ſolum Senatus defferebat, qui cùm prius in Republica adepti eſſent Dictatoria, Conſularia, aut Prætoria officia, quinq; milia hoſtium ſine Romani ſanguinis effuſione Romanorũ Imperio ſubieciſſent. Vnde Liuius ait Luciũ Corneliũ Lentulũ ex Hiſpania reuerſum, vbi Procõſul fuerat, in Senatu res à ſe fortiter fæliciterq; geſtas expoſuiſſe, poſtulaſſeq;, vt triũphanti ſibi Romã ingredi liceret, Senatum Ouationẽ conceſſiſſe, quòd Proconſul Hiſpaniam, non Conſul aut Prætor obtinuiſſet. Ingrediebatur autem vrbem Romanam victor hoſtibus profligatis, ſcriptis potentiorum nominibus, comitante præda, & captiuis, diſtinctis ordine ſimulacris caſtellorum, & vrbium, quas ea expeditione expugnaſſet; quem vniuerſus Senatorum ordo ma-

Lib. 32.

Triumphus apud Romanos duplex fuit, & quibus quiſq. cõcederetur.

Lib. 31.

gna lætitia, & ſacrificiorum apparatu excipiebat. Quibus tamen magnus triumphus ex legũ
Oroſ. li. 5. c. 2. Maxi. li. 2. cap. 3. *triumphalium iure negabatur (de quibus Paulus Oroſius, & Vale. Maximus ſcripſerũt) decernebatur minor triumpus Ouationis, quo letitia tantum publica excipiebatur, qui hoſtes exigua Romani ſanguinis effuſione viciſſet: ordinem autem, modũ, & maieſtatẽ triumphantiũ*
Lib. 6. c. 6. die. gẽnial. *Alexander ab Alexandro acuratè deſcribit: Cæſaris verò triumphum (vnde alios colligere*
Caſsius li. 37. & 43. *licet) depinxit ſatis præclarè Dion Caßius: De vtroq; verò triumpho maiori, & minori latè ege-*
Plut. in vita Marcelli. *runt Plutarchus, Liuius, Dionyſius Halicarnaßeus, & Aulus Gelius. Qui tamẽ primus triũ-*
Liuius li. 41. *phauit Dionyſius liber fuit, vt Diodorus Siculus, & Plinius teſtantur. Militibus verò, qui*
Dyoniſ. Halic. li. 5. antiq. Rom. *aliquid præmio dignum geſiſſent, varia coronarum genera propoſita erant; alia enim erat triũphalis, alia oualis, alia ciuica, alia caſtrẽſis, alia*
Gel. li. 5. c. 6. *naualis, alia donatica, alia muralis; de quibus la-*
Diodo. lib. 5. Biblioth. *tè Plinius diſeruit: de omnibus deniq; his præmiis multa etiã tradidit Polidorus Virgilius*
Pli. li. 7. cap. 56. *in lib. de Inuentoribus rerũ. Præterea poterit ali*
Plin. l. 22 *quandò hiſtoricus ſuã liberè in hiſtoria ferre ſen*
Li. 2. c. 16 *tentiã de aliis hiſtoricis, ſi ſenſerit minùs vera di xiſſe,*

xiſſe, eorumq́; opiniones refutare, vt eo modo veritas acerrimè diſputata clariùs innoteſcat: quòd ſæpè feciſſe Plutarchum notum eſt his qui eius hiſtoriã ſedulò percurrerunt. Titus Liuius hoc modo de veriori ſententia ſuum tulit iudiciũ: hic Lucij Tarquinij Priſci Tarquinij Regis filius, nepoſuè fuerit, parũ liquet; plurimis tamẽ auctoribus filium crediderim, fratrem habuiſſe Arũtem Tarquinium mitis ingenij iuuenem. Ea igitur erũt vitia narrationis, ſi aliquid narretur, quòd à veritate abhorreat, aut ita turpe, obſcenum, ac ſordidum, vt non ſit probis moribus conſonum, ſi prætermittatur aliquid magnum, præclarum, vel neceßarium, ſi non habeatur ratio locorũ, tẽporũ, aut perſonarũ, ſi cauſſæ, cõſilia, & euẽtus nõ prudẽter notẽtur, ſi deniq; minuta, abiecta, aut quæ nihil interſint, fabuloſa, portẽta, ridiculaue narrentur. In narrandis autem rebus curandum eſt ſedulò, ne aliquo modo ab ordine diſcedamus, quem in eis gerendis bellorum auctores ſecuti fuerunt; ita vt ſuum cuiq; concedamus, exponamuſq́; quid cũ laude dixerint, aut fecerint ipſi Reges, Duces, milites, & aliæ perſonæ. Expediet etiã aliquãdò arbitratu noſtro ratiocinari, ſi de re graui inſtituẽd⁹ ſit ſermo, qua-

In vitis Lat. & Græco.

Lib. 1.

Integrũ eſſe hiſtorico de aliorũ hiſtoriis ferrè iudicium.

Quomodo, & qualis diuerſis perſonis oratio tribuẽda

 lis

ſit in hiſtoriæ narratione.

lis eſſe debeat cuiuſq́ perſonæ oratio, ne quid fortè indecenter, aut quòd minùs, ad rem ipſam pertineat, in hiſtoria dicatur. In quo ſanè exceſſus vituperandus eſſet; ſic enim oportet cuiq́ perſonæ orationem aptare, vt cum omnes dilúcidè diſtinctèq́ loquantur, aliũ regibus ſermonem tribuamus, aliũ legatis ſiuè externis, ſiuè ſubditis in obeũdis recitandiſq́ legationibus, atq́ mandatis, aliũ ducibus in excitandis ad prælium militum animis, diuerſum deniq́ militibus, vel quãdò Regẽ, vel quandò exercitus Principes, vel quandò inter ſe familiariter, aut domeſticè allocuntur. Quòd ab hiſtoricis mutuatum Oratius cecinit his carminibus.

In art. Poet.

Intererit multũ Dauus ne loquatur an Heros
Maturus ne ſenex, an adhuc florẽte iuuenta,
Feruidus an matrona, potẽs an ſedula nutrix,
Mércator ne vagus, cultor ne virentis agelli,
Cholcus an Aßirius, Thebis nutritus an Argis

Loquentis igitur perſonæ decorum maximè obſeruare oportet: huc pertinent conciones, quæ ad ſuadendũ, vel diſsuadendũ in conſultationibus proponuntur, vel ad ſententiã dicendã; literæ,

quæ

149

quæ ad alios mittuntur, quæ incidunt ſepæ in ip-
ſo narrationum progreſſu. Nam ſi duces ſuos
milites ad virtutes cohortentur, graui oratione
opus eſt, ſi dehortentur timida, pericula expli-
cante, & animos adimente. Iuuabit ad hãc rem
noſſe loquentium naturam, mores, ingenium, ne
eis diuerſum, quam iſta poſtulent, ſermonem tri
buamus; ſed regibus magnificam & imperantẽ;
ducibus prudentem & grauem; militibus humi-
lem & tenuem orationem impartiamur. Cæte-
rum cum nihil in hiſtorijs neq; vrbanius, neq.
frequentius videamus, quàm in ipſo narrationis
curſu à perſonis ſæpe auctoritate grauibus vbe-
res ac congruentes conciones & orationes habe
ri, quæ ſane hiſtoriæ plerunq. dignitatem, non ra
ro ornatum, ſæpe venuſtatem impartiuntur; af-
feram hoc loco ex varia Liuij hiſtoria ſelectarũ
aliquot orationũ exempla, cùm magiſtratuum,
tùm aliarum perſonarum, quæ cùm grauiſſimæ
abſolutiſſimæq. extiterint, ſibi futuri hiſtorici ad
imitandum tanquã potiora exempla proponãt;
eſt enim in concionibus orationibusq. referendis
Liuius iucundus, dulcis, grandilocus, candidus,
effuſus & ſupra quam dici poſſit, eloquentiſſi-
mus: quo nullus melius cõmendauit mitiores af

fectus, omniaq́; cùm rebus, tùm perſonis melius accommodauit: cuius lactea vbertas lectorem detinet, recreat, paſcit, omnibusq́; affectibus commouet, ita vt qui eius facundiæ aliquid addat, aut demat, id omne non magis ab ea, quàm ab ipſamet elegantia detraxiſſe videatur. Is igitur Regiæ orationis exemplum tale proponit Philippi Macedoniæ Regis, qui filio Perſeo patricida exheredato, liberè Antigono regi Macedonicum ſuum Regnum offert, eumq́; hoc modo alloquitur: Quando in eam fortunam veni, inquit, Antigone, vt orbitas mihi, quam alij deteſtantur parentes, optabilis eſſe debeat, Regnum, quod à patruo tuo forti, non ſolum fideli tutela eius cuſtoditum & auctum etiam accepi, id tibi tradere in animo eſt. Te vnum habeo, quem dignum Regno iudicem, ſi neminem haberem, perire & extingui id mallem, quam Perſeo ſceleſtæ fraudis præmium eſſe. Demetrium excitatū ab inferis, reſtitutumq́; credam mihi, ſi te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori vnus inlachrimaſti, in locum eius ſubſtitutum relinquā. Idem Tullum hoſtilium Romanorum Regem de proditione Metij Albanorum ducis cum Romanis & Albanis ita loquentem introducit: Tum

Liui. lib. 40.

Regiæ orationis exēpla

ita

150

ita Tullus inquit, Romani, ſi vnquã antè aliàs vllo in bello fuit, quod primùm dijs immortalibus gratias ageretis, deindè veſtræ ipſorum virtuti, heſternum id prælium fuit: dimicatum eſt enim non magis cum hoſtibus, quàm (quæ dimicatio maior ac periculoſior eſt) cum proditione ac perfidia ſociorum. Nam ne vos falſa opinio teneat, iniuſſu meo Albani ſubiere ad montes; nec imperium illud meum, ſed conſilium & imperij ſimulatio fuit; vt nec nobis ignorantibus deſeri uos, auerteretur à certamine animus, & hoſtibus circumueniri ſe à tergo ratis terror ac fuga iniiceretur. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum eſt; ducem ſecuti ſunt, vt & vos, ſi quò ego inde agmen declinare voluiſſem, feciſſetis. Metius ille eſt ductor itineris huius; Metius idem huius machinator belli; Metius fœderis Romani Albaniq́ue ruptor. Audeat deinde talia alius, niſi in hunc inſigne iam documentum mortalibus dedero. Centuriones armati Metium circunſiſtunt, rex cætera vt orſus erat peragit: Quod bonum, fauſtum, fœlixq́ue ſit populo Romano, ac mihi vobisq́ue Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo eſt; ciuitatem dare plebi, libr.1.

pri-

primores in patres legere, vnam vrbem, vnam Remp. facere; vt ex vno quoudam in duos populos Albana diuiſa res eſt, ſic nunc in vnum redeat. Ad hæc, Albana pubes inermis ab armatis ſepta in varijs voluntatibus, communi tamẽ metu cogente, ſilentium tenet. Tum Tullus, Meti Suffeti, inquit, ſi ipſe diſcere poſſes fidem ac fœdera ſeruare, viuo tibi ea diſciplina à me adhibita eſſet: nunc quoniam tuum inſanabile ingeniũ eſt, tu tuo ſuplicio doce humanum genus ea ſancta credere, quæ à te violata ſunt: vt igitur paulò ante animum inter fidenatem Romanamq. rem ancipitem geßiſti, ita iam corpus paßim diſtrahendum dabis. Eſt etiam apud eundem elegans Quin. Fabij Dictatoris exemplum, qui breui oratione ad irumpendum in hoſtes, & vlciſcendam ciuium Romanorum necem, ac recuperandam à Samnitibus coloniam milites Romanos hoc modo hortatus eſt: Locis inquit anguſtis, milites, deprehenſi, niſi quam victoria patefecerimus, viam nullam habemus. Statiua noſtra munimenta ſatis tuta ſunt, ſed inopia eadem infeſta: nam & circa omnia defecerunt, vnde ſubuehi commentus poterant: & ſi homines iuuare velint, iniqua loca ſunt; itaq. non fruſtrabor

Exẽplũ Orationis Dictatoris.

Libr. 9.

ego

ego vos caſtra hîc relinquendo, in quæ infecta vi ctoria, ſicut priſtino die, vos recipiatis, armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe de bent. Caſtra habeant, repetãtq; quibus opera ex trahere bellum: nos omnium rerum reſpectum, præterquàm victoriæ nobis abſcindamus: ferte ſigna in hoſtem, vbi extra vallum agmen exceſſe rit, caſtra quibus imperatum eſt, incendant; ma la veſtra milites omnium circà, qui defecerunt, populorum præda ſarcientur. Ea oratione Dicta toris, quæ neceſſitatis vltimæ index erat, milites accenſi vadunt in hoſtem; & reſpectus ipſe ardē tium caſtrorum; quamquàm proximis tantum (ita enim iuſſerat Dictator) ignis eſt ſubditus, haud paruum fuit irritamentum. Quibus qui- dem verbis, cum iam nulla eſſet ſpes ſalutis re- licta tantoperè ad vindictam animos militum imflammauit, vt incredibili Martis furore in- cēſi Samnites aggrederentur, eosq; & vicerint, & eorum caſtra prorſus diripuerint. Legatus Tuſculanorum à Patribus Conſcriptis apud eū dem huiuſmodi in Senato habita oratione pacē & ciuitatem ſimul impetrauit: Quibus, inquit, bellum indixiſtis, intuliſtisq;. P. C. ſicut nunc vi detis nos ſtantes in veſtibulo curiæ veſtræ, ita ar mati

Exēplū oratio- nis. Legati lib. 6.

mati paratiq́; obuiã imperatoribus, legionibusq́; veſtris proceſſimus, hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit, eritq́; ſemper, niſi ſi quando à vobis proq́; vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus veſtris & exercitibus, quòd oculis magis quàm auribus crediderunt, & vbi nihil hoſtile erat, ne ipſi quidem fecerunt, pacem, quam nos præſtitimus, eam à vobis petimus; bellum eò, ſic vbi eſt, auertatis precamur. In nos quid arma polleant veſtra, ſi patiendo experiundum eſt, inter nos experiemur; hæc mens noſtra eſt, dij immortales faciant, tam felix, quàm pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bella indixiſtis; & ſi re victa rebus verbis confutare, nihil attinet, tamen etiam ſi vera ſint, vel fateri nobis ea, cum tam euidenter pænituerit, tutum cenſemus; peccetur in vos, dum digni ſitis, quibus ita ſatisfiat. Apud eundem eleganter exculta oratione legati Locrenſium in Senatu de Quin. Pleminio præfecto militum Romanorum (commemoratis atrociſsimis cladibus, quas ſibi ſuisq́; militibus intuliſſet) ad hunc modum coram. P. C. conqueruntur; Omnes deinde (inquit Liuius) alias curas vna occupauit, poſtquã Locrenſium clades, quę ignotæ ad eam diem fuerant,

Exẽplũ oratio-nis Legatorũ Locrẽſium.

Libr. 29.

rant,

rant, legatorum aduentu vulgata ſunt; nec tam Q. Pleminij ſcelus, quàm Scipionis in eo aut ambitio, aut negligentia iras hominum irritauit. Decem Legati Locrenſium obſiti ſqualore & ſordibus, in comitio ſedentibus Conſulibus, velamenta ſupplicum ramos oleæ (vt Græcis mos eſt) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt; quærentibus conſulibus Locrenſes ſe dixerunt eſſe, ea paſſos à Q. Pleminio Legato, Romanisq; militibus, quæ pati ne Carthaginenſes quidem vellit populus Romanus; orare vt ſibi patres adeundi, deplorandiq; ærumnas ſuas poteſtatem facerent. Senatu dato, maior natu ex ijs: Scio, inquit, quanti æſtimentur noſtræ apud vos querelæ. P. C. plurimùm in eo momenti eſſe, ſi propè ſciatis, & quomodo proditi Locri Annibali ſint, & quomodo pulſo Annibalis præſidio reſtituti in ditionē veſtram. Quippe ſi & culpa defectionis procul à publico conſilio abſit, & reditum in veſtram ditionem appareat, non voluntate ſolùm, ſed ope etiā ac virtute noſtra, magis indignemini, bonis ac fidelibus ſocijs tam atroces, atq. indignas iniurias ab legato veſtro militibusq. fieri: Sed ego

cau-

cauſam vtriusq. defectionis noſtræ in aliud tempus differendam arbitror eſſe duarum rerum gratia; vnius, vt coram. P. Scipione, qui Locros recepit, quiq. omnibus nobis rectè, perperamq. factorum eſt teſtis, agatur; alterius, quòd qualeſcumq. ſumus, tamen hæc, quæ paßi ſumus, pati non debuimus. Non poſſumus dißimulare. P. C. nos cùm præſidium Punicum in arce noſtra haberemus, multa fœda, indigna, & à præfecto præſidij Amilcare, & ab Numidis, Afrisq. paſſos eſſe: ſed quid illa ſunt, collata cum his, quæ hodie patimur? Cum bona venia quæſo, audiatis. P. C. id quod inuitus eloquar: in diſcrimine eſt nunc humanum omne genus, vtrum vos, an Carthaginenſes principes orbis terrarum videat; ſed ſi ex his, quæ Locrēſes aut ab illis paßi ſumus, aut à veſtro præſidio, nunc cum maximè patimur, æſtimandum Romanorum, ac Punicum imperium ſit, nemo non illos ſibi, quàm vos dominos præoptet. Et tamen videte quemadmodum Locrenſes in vos animati ſint: cùm à Carthaginenſibus multò minores iniurias accèperimus, ad veſtrū imperatorem confugimus, cùm à veſtro præſidio plus quam hoſtilia patiamur, nuſquam aliò, quam ad vos querelas detulimus. Aut vos reſ-

picie

picietis perditas res noſtras P.C. aut ne ab Diis quidem immortalibus, quòd precemur, quicquam ſupereſt. Q. Pleminius Legatus miſſus eſt cũ præſidio ad recuperandos à Carthaginenſibus Locros, & cum eodem ibi relictus eſt præſidio: in hoc legato veſtro (dant enim animum ad loquendum liberè vltima miſeria) nec hominis quicquàm eſt P.C. præter figuram, & ſpeciem, neq. Romani ciuis præter habitum, & ſonũ Latinæ linguæ: peſtis ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciem nauigantium circumſediſſe fabulæ ferunt. Ac ſi ſcelus, libidinem, auaritiam ſolus ipſe exercere in ſocios veſtros ſatis haberet, vnam profundam quidem voraginem tamen patientia noſtra expleremus: nunc omnes centuriones, militesq. veſtros (adeo in promiſcuo licẽtiam, atq. improbitatem eſſe voluit) Pleminios fecit: omnes rapiunt, ſpoliant, verberant, vulnerant, occidunt; conſtrupant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parẽtum: quotidie capitur vrbs noſtra, quotidie diripitur, dies noctesq. omnia, paſsim mulierum, puerorumq., qui rapiuntur, atq. aſportantur, ploratibus ſonant. Miretur, qui

gulum iuxta Helleſpontum occuparẽt Chriſtia ni nominis euerſores, ſenſim deinde perfidia, ma gis quàm armis, quod cæperant propagarũt, atq́; auxerunt; quouſq́; aperto Marte principem il- lam vrbium, Jmperijq. receptaculum Conſtan- tinopolim ſuſtulerunt. Sic Thraces euerſos, dele tos Macedones, Ætolos ſuis ſedibus pulſos miſe rè perdolemus. Noſtra erat Myſia, noſtra Pelo põneſus, nũc autem Rege prioris trucidato, poſte rioris decepto, vtraq. potiuntur. Atq. vt reli- qua taceam iniquè erga nos cogitata, crudeliùs acta, veluti ereptam nobis Syriam, Phænicem, Ægyptum, ſpoliatos nos eſſe Aſia, eiectos Aphri ca, & Mauritania: ſæpè emiſsis ſuſpiriis, effuſiſq. lachrymis dolere magis ſoleo, eô effrenata libidi ne, ac rabie perueniſſe, vt ſuperatis Alpibus in Cæſaris prouintias irrepſerint, ferro omnia, flã maq. diruentes; ac per Tauriſcos, & Mo- ricos reuertentes, ante ipſas Italiæ fores, antè Jtaliæ oculos innumerabilem omnis ſexus per- ſonarum, omniumq. rerum prædam traxe- rint. Neq. his malis contenti, poſtea in Ita- liam reuerſi, Liburnos, & Iſtros, nihil tale me- tuentes, ac miſeras illas finitimas regiones, quæ non minùs Jtaliæ nomine, quàm Alpium altitu-

altitudine ſe tutas eſſe putabant, cædibus, incendiis, rapinis, crudeliter deuaſtarunt, &c. De populationum, & captiuorum exempla in bello Canenſi poſt Annibalis in Italiam aduentum, habes apud Liuium multa. Præmia etiam eorum, qui aliquid magnũ cum laude aggreßi ſunt, in hiſtoria recenſere laudabile erit: Quæ quidem apud Romanos varia fuerunt; potiora verò triũphi, qui duplices erãt, Magni, & Ouales. Magnos his ſolum Senatus defferebat, qui cùm priùs in Republica adepti eſſent Dictatoria, Conſularia, aut Prætoria officia, quinq; milia hoſtium ſine Romani ſanguinis effuſione Romanorũ Imperio ſubieciſſent. Vnde Liuius ait Luciũ Corneliũ Lentulũ ex Hiſpania reuerſum, vbi Procõſul fuerat, in Senatu res à ſe fortiter fæliciterq; geſtas expoſuiſſe, poſtulaſſeq;, vt triũphanti ſibi Romã ingredi liceret, Senatum Ouationẽ conceßiße, quòd Proconſul Hiſpaniam, non Conſul aut Prætor obtinuiſſet. Ingrediebatur autem vrbem Romanam victor hoſtibus profligatis, ſcriptis potentiorum nominibus, comitante præda, & captiuis, diſtinctis ordine ſimulacris caſtellorum, & vrbium, quas ea expeditione expugnaſſet; quem vniuerſus Senatorum ordo magna

Lib. 32.

Triumphus apud Romanos duplex fuit, & quibus quiſq. cõcederetur.

Lib. 31.

gna lætitia, & ſacrificiorum apparatu excipiebat. Quibus tamen magnus triumphus ex legũ triumphalium iure negabatur (de quibus Paulus Oroſius, & Vale. Maximus ſcripſerũt) decernebatur minor triumpus Ouationis, quo letitia tantum publica excipiebatur, qui hoſtes exigua Romani ſanguinis effuſione viciſſet: ordinem autem, modũ, & maieſtatẽ triumphantiũ Alexander ab Alexandro acuratè deſcribit: Cæſaris verò triumphum (vnde alios colligere licet) depinxit ſatis præclarè Dion Caßius: De vtroq; verò triumpho maiori, & minori latè egerunt Plutarchus, Liuius, Dionyſius Halicarnaßeus, & Aulus Gelius. Qui tamẽ primus triũphauit Dionyſius liber fuit, vt Diodorus Siculus, & Plinius teſtantur. Militibus verò, qui aliquid præmio dignum geſiſſent, varia coronarum genera propoſita erant; alia enim erat triũphalis, alia oualis, alia ciuica, alia caſtrẽſis, alia naualis, alia donatica, alia muralis; de quibus latè Plinius dißeruit: de omnibus deniq; his præmiis multa etiã tradidit Polidorus Virgilius in lib. de Inuentoribus rerũ. Præterea poterit aliquandò hiſtoricus ſuã liberè in hiſtoria ferre ſententiã de aliis hiſtoricis, ſi ſenſerit minùs vera dixiſſe,

Oroſ. li. 5. c. 2. Maxi. li. 2. cap. 3.

Lib. 6. c. 6. die. gẽnial.

Caſsius li. 37. & 43.

Plut. in vita Marcelli.

Liuius li. 41.

Dyoniſ. Halic. li. 5. antiq. Rom.

Gel. li. 5. c. 6.

Diodo. lib. 5. Biblioth.

Pli. li. 7. cap. 56.

Plin. l. 22

Li. 2. c. 16

xiſſe,eorumq́; opiniones refutare, vt eo modo veritas acerrimè diſputata clariùs innoteſcat: quòd ſæpè feciſſe Plutarchum notum eſt his qui eius hiſtoriã ſedulò percurrerunt. Titus Liuius hoc modo de veriori ſententia ſuum tulit iudiciũ: hic Lucij Tarquinij Priſci Tarquinij Regis filius, nepoſuè fuerit, parũ liquet; plurimis tamẽ auctoribus filium crediderim, fratrem habuiſſe Arũtem Tarquinium mitis ingenij iuuenem. Ea igitur erũt vitia narrationis, ſi aliquid narretur, quòd à veritate abhorreat, aut ita turpe, obſcenum, ac ſordidum, vt non ſit probis moribus conſonum, ſi prætermittatur aliquid magnum, præclarum, vel neceßarium, ſi non habeatur ratio locorũ, tẽporũ, aut perſonarũ, ſi cauſſæ, cõſilia, & euẽtus nõ prudẽter notẽtur, ſi deniq; minuta, abiecta, aut quæ nihil interſint, fabuloſa, portẽta, ridiculauè narrentur. In narrandis autem rebus curandum eſt ſedulò, ne aliquo modo ab ordine diſcedamus, quem in eis gerendis bellorum auctores ſecuti fuerunt; ita vt ſuum cuiq; concedamus, exponamuſq́;, quid cũ laude dixerint, aut fecerint ipſi Reges, Duces, milites, & aliæ perſonæ. Expediet etiã aliquãdò arbitratu noſtro ratiocinari, ſi de re graui inſtituẽd⁹ ſit ſermo, qua-

In vitis Lat. & Græco.

Lib. 1.

Integrũ eſſe hiſtorico de aliorũ hiſtoriis ferrè iudicium.

Quo modo, & qualis diuerſis perſonis oratio tribuẽda

ſit in hiſtoriæ narratione.

lis eſſe debeat cuiuſq́ perſonæ oratio, ne quid fortè indecenter, aut quòd minùs, ad rem ipſam pertineat, in hiſtoria dicatur. In quo ſanè exceſſus vituperandus eſſet; ſic enim oportet cuiq́ perſonæ orationem aptare, vt cum omnes dilucidè diſtinctèq́ loquantur, aliũ regibus ſermonem tribuamus, aliũ legatis ſiuè externis, ſiuè ſubditis in obeũdis recitandiſq́ legationibus, atq́ mandatis, aliũ ducibus in excitandis ad prælium militum animis, diuerſum deniq́ militibus, vel quãdò Regẽ, vel quandò exercitus Principes, vel quandò inter ſe familiariter, aut domeſticè allocuntur. Quòd ab hiſtoricis mutuatum Oratius cecinit his carminibus.

In art. Poet.

Intererit multũ Dauus ne loquatur an Heros
Maturus ne ſenex, an adhuc florẽte iuuenta,
Feruidus an matrona, potẽs an ſedula nutrix,
Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli,
Cholcus an Aßirius, Thebis nutritus an Argis

Loquentis igitur perſonæ decorum maximè obſeruare oportet: huc pertinent conciones, quæ ad ſuadendũ, vel dißuadendũ in conſultationibus proponuntur, vel ad ſententiã dicendã; literæ,

quæ

quæ ad alios mittuntur, quæ incidunt ſepæ in ipſo narrationum progreſſu. Nam ſi duces ſuos milites ad virtutes cohortentur, graui oratione opus eſt, ſi dehortentur timida, pericula explicante, & animos adimente. Iuuabit ad hãc rem noſſe loquentium naturam, mores, ingenium, ne eis diuerſum, quam iſta poſtulent, ſermonem tribuamus; ſed regibus magnificam & imperantẽ; ducibus prudentem & grauem; militibus humilem & tenuem orationem impartiamur. Cæterum cum nihil in hiſtorijs neq; vrbanius, neq. frequentius videamus, quàm in ipſo narrationis curſu à perſonis ſæpe auctoritate grauibus vberes ac congruentes conciones & orationes haberi, quæ ſane hiſtoriæ plerunq. dignitatem, non raro ornatum, ſæpe venuſtatem impartiuntur; afferam hoc loco ex varia Liuij hiſtoria ſelectarũ aliquot orationũ exempla, cùm magiſtratuum, tùm aliarum perſonarum, quæ cúm grauiſſimæ abſolutiſſimæq. extiterint, ſibi futuri hiſtorici ad imitandum tanquã potiora exempla proponãt; eſt enim in concionibus orationibusq. referendis Liuius iucundus, dulcis, grandilocus, candidus, effuſſus & ſupra quam dici poſſit, eloquentiſſimus: quo nullus melius cõmendauit mitiores af

C 5 *fectus,*

fectus, omniaq́; cùm rebus, tùm perſonis melius accommodauit: cuius lactea vbertas lectorem detinet, recreat, paſcit, omnibusq́; affectibus commouet, ita vt qui eius facundiæ aliquid addat, aut demat, id omne non magis ab ea, quàm ab ipſamet elegantia detraxiſſe videatur. Is igitur Regiæ orationis exemplum tale proponit Philippi Macedoniæ Regis, qui filio Perſeo patricida exheredato, liberè Antigono regi Macedonicum ſuum Regnum offert, eumq́; hoc modo

Liui.lib. 40. Regię oratio- nis exẽ- pla

alloquitur: Quando in eam fortunam veni, inquit, Antigone, vt orbitas mihi, quam alij deteſtantur parentes, optabilis eſſe debeat, Regnum, quod à patruo tuo forti, non ſolum fideli tutela eius cuſtoditum & auctum etiam accepi, id tibi tradere in animo eſt. Te vnum habeo, quem dignum Regno iudicem, ſi neminem haberem, perire & extingui id mallem, quam Perſeo ſceleſtæ fraudis præmium eſſe. Demetrium excitatũ ab inferis, reſtitutumq́; credam mihi, ſi te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori vnus inlachrimaſti, in locum eius ſubſtitutum relinquã. Idem Tullum hoſtilium Romanorum Regem de proditione Metij Albanorum ducis cum Romanis & Albanis ita loquentem introducit: Tum

ita

ita Tullus inquit, Romani, ſi vnquã antè aliàs libr.1.
vllo in bello fuit, quod primùm dijs immortalibus gratias ageretis, deindè veſtræ ipſorum virtuti, heſternum id prælium fuit: dimicatum eſt enim non magis cum hoſtibus, quàm (quæ dimicatio maior ac periculoſior eſt) cum proditione ac perfidia ſociorum. Nam ne vos falſa opinio teneat, iniuſſu meo Albani ſubiere ad montes; nec imperium illud meum, ſed conſilium & imperij ſimulatio fuit; vt nec nobis ignorantibus deſeri uos, auerteretur à certamine animus, & hoſtibus circumueniri ſe à tergo ratis terror ac fuga iniiceretur. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum eſt; ducem ſecuti ſunt, vt & vos, ſi quò ego inde agmen declinare voluiſſem, feciſſetis. Metius ille eſt ductor itineris huius; Metius idem huius machinator belli; Metius fœderis Romani Albaniq; ruptor. Audeat deinde talia alius, niſi in hunc inſigne iam documentum mortalibus dedero. Centuriones armati Metium circunſiſtunt, rex cætera vt orſus erat peragit: Quod bonum, fauſtum, fœlixq; ſit populo Romano, ac mihi vobiſq; Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo eſt; ciuitatem dare plebi,
pri-

primores in patres legere, vnam vrbem, vnam Remp. facere; vt ex vno quoudam in duos populos Albana diuiſa res eſt, ſic nunc in vnum redeat. Ad hæc, Albana pubes inermis ab armatis ſepta in varijs voluntatibus, communi tamẽ metu cogente, ſilentium tenet. Tum Tullus, Meti Suffeti, inquit, ſi ipſe diſcere poſſes fidem ac fœdera ſeruare, viuo tibi ea diſciplina à me adhibita eſſet: nunc quoniam tuum inſanabile ingeniũ eſt, tu tuo ſuplicio doce humanum genus ea ſancta credere, quæ à te violata ſunt: vt igitur paulò ante animum inter fidenatem Romanamq. rem ancipitem geßiſti, ita iam corpus paßim diſtrahendum dabis. Eſt etiam apud eundem elegans Quin. Fabij Dictatoris exemplum, qui breui oratione adirumpendum in hoſtes, & vlciſcendam ciuium Romanorum necem, ac recuperandam à Samnitibus coloniam milites Romanos hoc modo hortatus eſt: Locis inquit anguſtis, milites, deprehenſi, niſi quam victoria patefecerimus, viam nullam habemus. Statiua noſtra munimenta ſatis tuta ſunt, ſed inopia eadem infeſta: nam & circa omnia defecerunt, vnde ſubuehi commentus poterant: & ſi homines iuuare velint, iniqua loca ſunt; itaq. non fruſtrabor ego

Exẽplũ Orationis Dictatoris.

Libr. 9.

ego voſ caſtra hîc relinquendo, in quæ infecta victoria, ſicut priſtino die, vos recipiatis, armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe debent. Caſtra habeant, repetātq́, quibus opera extrahere bellum: nos omnium rerum reſpectum, præterquàm victoriæ nobis abſcindamus: ferte ſigna in hoſtem, vbi extra vallum agmen exceſſerit, caſtra quibus imperatum eſt, incendant; mala veſtra milites omnium circà, qui defecerunt, populorum præda ſarcientur. Ea oratione Dictatoris, quæ neceßitatis vltimæ index erat, milites accenſi vadunt in hoſtem; & reſpectus ipſe ardẽtium caſtrorum, quamquàm proximis tantum (ita enim iuſſerat Dictator) ignis eſt ſubditus, haud paruum fuit irritamentum. Quibus quidem verbis, cum iam nulla eſſet ſpes ſalutis relicta tantoperè ad vindictam animos militum imflammauit, vt incredibili Martis furore incẽſi Samnites aggrederentur, eosq́ & vicerint, & eorum caſtra prorſus diripuerint. Legatus Tuſculanorum à Patribus Conſcriptis apud eũdem huiusmodi in Senato habita oratione pacẽ & ciuitatem ſimul impetrauit: Quibus, inquit, bellum indixiſtis, intuliſtisq́. P. C ſicut nunc videtis nos ſtantes in veſtibulo curiæ veſtræ, ita armati

Exẽplũ oratio-nis. Legati lib. 6.

mati

mati paratiq; obuiã imperatoribus, legionibusq; veſtris proceſſimus, hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit, eritq; ſemper, niſi ſi quando à vobis proq; vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus veſtris & exercitibus, quòd oculis magis quàm auribus crediderunt, & vbi nihil hoſtile erat, ne ipſi quidem fecerunt. pacem, quam nos præſtitimus, eam à vobis petimus; bellum eò, ſic vbi eſt, auertatis precamur. In nos quid arma polleant veſtra, ſi patiendo experiundum eſt, inter nos experiemur; hæc mens noſtra eſt, dij immortales faciant, tam felix, quàm pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bella indixiſtis; & ſi re victa rebus verbis confutare, nihil attinet, tamen etiam ſi vera ſint, vel fateri nobis ea, cum tam euidenter pænituerit, tutum cenſemus; peccetur in vos, dum digni ſitis, quibus ita ſatisfiat.

Exēplū orationis Legatorū Locrēſium.

Apud eundem elegante excul ta oratione legati Locrenſium in Senatu de Quin. Plemínio præfecto militum Romanorum (commemoratis atrociſſimis cladibus, quas ſibi ſuiſq; militibus intuliſſet) ad hunc modum coram. P. C. conqueruntur; Omnes deinde (inquit Liuius) alias curas vna occupauit, poſtquã Locrenſium clades, quæ ignotæ ad eam diem fuerant,

Libr. 29.

rant, legatorum aduentu vulgata ſunt; nec tam Q. Pleminij ſcelus, quàm Scipionis in eo aut ambitio, aut negligentia iras hominum irritauit. Decem Legati Locrenſium obſiti ſqualore & ſordibus, in comitio ſedentibus Conſulibus, velamenta ſupplicum ramos oleæ (vt Græcis mos eſt) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt; quærentibus conſulibus Locrenſes ſe dixerunt eſſe, ea paſſos à Q. Pleminio Legato, Romaniſq; militibus, quæ pati ne Carthaginenſes quidem vellit populus Romanus; orare vt ſibi patres adeundi, deplorandiq; ærumnas ſuas poteſtatem facerent. Senatu dato, maior natu ex ijs: Scio, inquit, quanti æſtimentur noſtræ apud vos querelæ. P. C. plurimùm in eo momenti eſſe, ſi propè ſciatis, & quomodo proditi Locri Annibali ſint, & quomodo pulſo Annibalis præſidio reſtituti in ditionē veſtram. Quippe ſi & culpa defectionis procul à publico conſilio abſit, & reditum in veſtram ditionem appareat, non voluntate ſolùm, ſed ope etiā ac virtute noſtra, magis indignemini, bonis ac fidelibus ſocijs tam atroces, atq. indignas iniurias ab legato veſtro militibusq. fieri: Sed ego

cau-

picietis perditas res noſtras P.C. aut ne ab Diis quidem immortalibus, quòd precemur, quicquam ſupereſt. Q. Pleminius Legatus miſſus eſt cũ præſidio ad recuperandos à Carthaginenſibus Locros, & cum eodem ibi relictus eſt præſidio: in hoc legato veſtro (dant enim animum ad loquendum liberè vltima miſeriæ) nec hominis quicquàm eſt P.C. præter figuram, & ſpeciem, neq. Romani ciuis præter habitum, & ſonũ Latinæ linguæ: peſtis ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciem nauigantium circumſediſſe fabulæ ferunt. Ac ſi ſcelus, libidinem, auaritiam ſolus ipſe exercere in ſocios veſtros ſatis haberet, vnam profundam quidem voraginem tamen patientia noſtra expleremus: nunc omnes centuriones, militesq. veſtros (adeo in promiſcuo licẽtiam, atq. improbitatem eſſe voluit) Pleminios fecit: omnes rapiunt, ſpoliant, verberant, vulnerant, occidunt, conſtrupant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parẽtum: quotidie capitur vrbs noſtra, quotidie diripitur, dies noctesq. omnia, paſſim mulierum, puerorumq., qui rapiuntur, atq. aſportantur, ploratibus ſonant. Miretur, qui

neſciat, quomodo aut nos ad patiendum ſuffi-ciamus; aut alios, qui faciunt nondum tanta-rum iniuriarum ſatietas ceperit. Neq; ego exequi poſſum, neq. vos opera eſt audire ſingu-la, quæ paßi ſumus, communiter omnia com-plectar. Nego, domum vllam Locris; nego, quemquam hominem iniuriæ expertem eſſe; ne go, vllum genus ſceleris, libidinis, auaritiæ ſu-pereſſe, quòd in vllo, qui pati potuerit, præ-termiſſum ſit, vix ratio iniri poteſt, vter caſus ciuitatis ſit deteſtabilior; cùm hoſtes bello vr-bem cepere, an cùm exitiabilis tyrannus vi, atq; armis oppreßit omnia, quæ captæ vrbes patiun tur, paßi ſumus, & nunc cùm maximè pati-mur. P. C. omnia, quæ crudeliſsimi atq. im-portuniſsimi tyranni ſcelera in oppreſſos ciues a-dunt; Pleminius in nos, liberoſq. noſtros, & coniuges adidit. Unum eſt, de quo nominatim & nos queri religio infixa animis cogat; & vos audire, & exoluere Rempub. veſtram re-ligione, ſi ita vobis videbitur, velimus. P. C. vidimus enim, quanta cerimonia non ve-ſtros ſolùm colatis deos, ſed etiam externos accipiatis: Fanum eſt apud nos Proſerpinæ, de cuius ſanctitate templi credo, aliquam fa-

mam

mam ad vos perueniſſe Pyrrhi bello; qui cùm ex Sicilia rediens Locros claſſe præteruehere-tur, inter alia fœdera, quæ propter fidem noſtram erga vos in ciuitatem noſtram faci-nora adidit, theſauros quoq. Proſerpinæ inta-ctos ad eam diem ſpoliauit, atq. ita pecunia in nauibus impoſita, ipſe terra eſt profectus. Quid ergo euenit? claßis poſtero die fœdißima tem-peſtate lacerata, omneſq. naues, quæ ſacram pecuniam habebant, in littora noſtra eiectæ ſunt: quâ tanta clade edoctus deos eſſe ſuperbiſ-ſimus rex, pecuniam omnem inquiſitam in the ſauros Proſerpinæ referri iuſsit; nec tamen il-li vnquam poſteà proſperè quicquam euenit; pulſusq. Italia, ignobili, atq. inhoneſta morte temerè nocte ingreſſus Argos occubuit. Hæc cum audiſſet legatus veſter, tribuniq. militum & mille alia, quæ non augendæ religionis cau-ſa: ſed præſentis deæ numine ſæpè comperta no-bis maioribuſq. noſtris, referebantur; auſi ſunt nihilominus, ſacrilegas admouere manùs inta-ctis illis theſauris; & nefanda præda ſe ipſos ac domos contaminare ſuas. Sed & nunc, & ſæ-pè aliàs dea ſuam ſedem, ſuumq. templum aut tutata eſt, aut à violatoribus grauia piacu-

tis ac detrectantis certamen pro victoria habui? nũc quia ille exercitus Hiſpaniæ prouintiæ ſcriptus ibi cum fratre Cn. Scipione meis auſpiciis rem gerit, vbi eum gerere Senatus populuſq. Romanus voluit; ego, vt COS. ducem aduerſus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipſe me huic voluntario certamini obtuli: Nouo Imperatori apud nouos milites pauca verba faciẽda ſunt. Ne genus belli neuè hoſtem ignoretis, cum his eſt vobis milites, pugnandum, quos terra mariq. priori bello viciſtis; à quibus ſtipendium per viginti annos exegiſtis; à quibus capta belli præmia Siciliã, ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine vobis, illiſq; animus, qui victoribus, et victis eſſe ſolet: nec nũc illi, quia audẽt, ſed quia neceſſe eſt, pugnaturi ſunt; niſi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectauere, eos duabus partibus peditum æquitumq; in tranſitu Alpium amiſsis, qui plures penè perierint, quàm ſuperſint, plus ſpei nactos eſse. At enim pauci quidem ſunt, ſed vigentes animis corporibuſq;, quorum robora ac vires, vix ſuſtinere vis vlla poteſt. Effigies, imò vmbræ hominum, fame, frigore, illuuie, ſqualore enecti, contuſi, ac debilitati inter ſaxa, rupeſq;; ad hæc

peruſti artus, niue rigentes nerui, membra torrida gelu, quaßata, confractaq́; arma, claudi, ac debiles equi; cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi eſtis; reliquas extremas hoſtiũ, non hoſtes habebitis. Ac nihil magis vereor, quã ne antequàm cum hoſte pugnaueritis, Alpes viciſſe Annibalem videantur. Sed ita forſitan decuit, cum fœderum ruptore duce, ac populo deos ipſos ſine vlla humana ope committere, ac profligare bellum: nos autem, qui ſecundũ deos violati ſumus, commißum ac profligatum conficere. Non vereor, ne quis me, hoc veſtri adhortandi cauſa magnificè loqui exiſtimet, ipſum aliter animo affectum eſſe. Licuit mihi, in Hiſpaniam prouintiam meam ire, quô iàm profectus eram cum exercitu meo, vbi & fratrem conſilij participem, ac periculi ſocium haberem, & Aſdrubalem potiuſquàm Annibalem hoſtem, & minorem haud dubiè molem belli; tamen cùm prætervueherer nauibus Galliæ oram, ad famam huius hoſtis in terram egreſſus, præmiſſo equitatu, ad Rhodanum moui caſtra equeſtri prælio, qua parte copiarũ conſerẽdi manu fortuna data eſt, hoſtẽ fudi, peditũ agmẽ, quòd in modũ fugientiũ raptim agebatur, quia

aſſequi

aſſequi terra nõ poterã, neq. regreſſus ad naues erat, quanta maximè celeritate potui, tãtò maris terrarũq; circuitu, in radicib⁹ Alpiũ obuius fuit. Huic timendo hoſti vtrũ cùm declinarem certamen, improuiſſus videor incidiſſe, an occurrerè in veſtigiis eius? laceſſere ac trahere ad decernendũ? Experiri iuuat vtrum alios certè repentè Carthaginẽſes per viginti annos terra ediderit; an iidem ſint, qui Ægates pugnauerunt inſulas, et quos ab Eryce duodeuicenis denariis æſtimatos emiſiſtis; & vtrũ Annibali hic ſit æmulus itinerũ Herculis, vt ipſe refert, an vectigalis ſtipẽdiariuſq; ſeruus populi Romani à patre relictus; quẽ niſi Sagũtinũ ſcelus agitaret, reſpiceret profectò, ſi nõ patriã victã, domũ certè pacẽq., & fœdera Amilcaris ſcripta manu: qui iuſſus à Conſ. noſtro præſidiũ deduxit ab Eryce; qui graues impoſitas victis Carthaginẽſibus leges fremẽs mærẽſq. accepit; qui decedere Sicilia, qui ſtipendiũ populo Romano dare pactus eſt. Itaq. vos ego milites, nõ eo ſolũ animo, quò aduerſus alios hoſtes ſoletis, pugnare velim; ſed cũ indignatione quadã, atq. ira, velut ſi ſeruos videatis veſtros arma repẽtè cõtra vos ferentes. Licuit, ſi voluiſſemus, ad Erycẽ clauſos vltimo ſupplicio

 humano

humanorũ, famè interficere, licuit claſſem victricem in Africã traiicere, atq; intra paucos dies ſine vllo certamine Carthaginẽ delere. Veniã dedimus præcantibus; emiſsimus ex obſidione; pacẽ cũ victis fecimus; tutelæ noſtræ deinde duximus, cùm Africo bello vrgerentur. Pro his impertitis furioſum iuuenem ſequentes, oppugnatum patriam noſtram veniunt; atq; vtinam pro decore nobis hoc tantum, & non pro ſalute eſſet certamen. Non de poſſeſsione Siciliæ, ac Sardiniæ, de quibus quondam agebatur, ſed pro Italia nobis eſt pugnandum, nec eſt aliùs abtergo exercitus, qui, niſi nos vincimus, hoſti obſiſtat; nec Alpes aliæ ſunt, quas dum ſuperant, comparari noua poſsint præſidia. Hic eſt obſtandum, milites, veluti ſi ante Romana mænia pugnemus. Vnuſquiſq. ſe non corpus ſuũ, ſed coniugem, ac liberos paruos armis protegere putet; nec domeſticas ſolùm agitet curas; ſed identidem hoc animo reputet, noſtras nunc intueri manus Senatum populumq. Romanũ, qualis noſtra vis virtuſq. fuerit, talem deinde fortunam illiùs vrbis ac Romani Imperij fore. Addere his maximè licèt Lucretiæ Matronæ Romanæ, (omnium quas veterum

terum celebrarũt hiſtoriæ, pudiciſsimæ) graui ter corã viro, patre, & amicis Tarquinij vi de perditã violatãq. pudicitiã deplorãtis; anxièq. cõtendentis, vt illatã honori iniuriã vlciſceren tur, breuiſsimæ nõ minùs quàm prudẽtis orationis exẽplũ; quòd hoc nobis modo ipſe idẽ Liuius propoſuit: Lucretia mæſta tãto malo nuntiũ Romã eũdem ad patrẽ, Ardeãq. ad virũ mittit, vt cũ ſingulis fidelibus amicis veniãt; ita facto maturatoq. opus eſſe, rẽ atrocẽ incidiſſe. Spuriùs Lucretius cũ P. Valerio Voleſi filio, Collatinus cũ L. Iunio Bruto venit; cũ quo fortè Romã veniens ab nũtio vxoris erat conuentus. Lucretiã ſedentẽ mæſtã in cubiculo inueniũt, aduẽtu ſuorũ lacrymæ obortæ; quærẽtiq. viro ſatimſaluæ? maximè, inquit, quid enim eſt ſalui mulieri amiſſa pudicitia? veſtigia viri alieni, Colatione, in lecto ſunt tuo; cæterum corpus eſt tantum violatum, animus inſons, mors teſtis erit; ſed datè dextras fidemq́, haud impunè adultero fore, Sextus eſt Tarquinius, qui hoſtis pro hoſpite priori nocte vi armatus mihi ſibiq., ſi vos viri eſtis, peſtiferum hinc abſtulit gaudium. Dant ordine omnes fidem, conſolantur ægram animi, auertendo noxam ab coacta in aucto-

Matronæ Romanæ Lucretiæ prudentis orationis exẽplũ. Lib. I.

*poſitionum,quædam vitiorum acrem animad-
uerſionem,aut quærelam complectuntur , vt in
auarũ, in crudelem, in tyranum,in ſeditioſum;
quædam Theſes, ideſt vniuerſas ſet generales
quæſtiones & argumenta exornant,ac in vtrãq;
partem probabiliter diſputanda ſuſcipiunt ; vt
de virtute, contra virtutem;de voluptate, con-
tra voluptatem;quædam deniq; miſerationem,
aut deprecationem continent. Mouendis verò
augendiſq; affectibus aptiſsima ſunt verba gra-
uia,ſublimia,ſonantia,grandia,verborum con-
geries,incrementum,Hypotipòſis immutatio for
tunæ accuratè expreſſa,amiſſa,vel amittẽda dig
nitas,pronuntiatio,ac geſtus concionantis, bra-
chiorum iactatio,oculorum in Cælum ſublatio,
imploratio diuini numinis, infantiũ productio,
lachrimæ profuſæ,ſed tamen paucæ,animiq; ſoli-
citudo;quibus efficitur,vt pro vario rerum dicẽ
tis ſtatu,hi qui audiunt, modò mitigentur,mo-
dò iraſcantur;modò inuideãt, modo fateantur;
modò contemnant; modò admirentur;modò ode
rint,modò diligãt,modò cupiant,modò ſatietate
afficiantur;modò ſperẽt,modò metuãt;modò læ-
tẽtur modò deniq; doleãt. Quippe nihil aliud eſt
concio,quàm quædã pro rei natura amplificatio*

ad

ad cõciliãdos nobis audiẽtium animos, vel in ad uerſarios cõcitandos accõmodata. Motus verò quædã eſt aut ad miſericordiã, aut ad inuidiã, aut ad irã, aut ad amorẽ, aut ad odiũ animi in citatio. Miſericordia ex probitate vitæ, morũ innocẽtia, calamitatibus, grauibusq́ue caſibus elicitur; inuidia ex gratia, dignitate, & facultatũ copia cõcipitur, ira ex leſione offenſionibusq́ue iniu ſtis cõcitatur; amor ex bono nomine, virtutibus, & rebus præclarè geſtis conciliatur; quæ omnia animos acriter permouebunt, ſi oratione eloquẽ ti, accõmodata, ac cõcitata decorẽtur. Præterea affectibus etiã ſubſeruiũt acerrimæ quædã figuræ, vt Hypothipôſis, Exclamatio, Anaphora, & vehementiſsima omniũ Proſopopeia. Hypothipô ſis eſt perſonæ, rei, temporis, loci cùm ſcribẽdo, tũ dicẽdo deſcriptio: ideſt, qua rẽ nõ ſimpliciter pro poſitam. ſed coloribus expreſſam, mirificèq́ue depictã quaſi in arce, tanquã illam Phidiæ Miner uam ſpectandã præbemus, ita vt geri, nõ narrari; ſpectari, non audiri res ipſa videatur. In qua illud obſeruandũ eſt, quod paſsim animaduertimus ab hiſtoricis cuſtodiri, vt nõ ſolũ ea, quæ præ ceſſerũt, vel conſecuta ſunt, aut adiuncta & copulata, ſed etiã, quæ fieri potuiſſent, exprimãtur,

& ex-

& explicentur. Adhibetur autem in concionibus Hypothipòſis, vel mouendi, vel amplificandi, vel exornandi, vel delectandi cauſa; de qua memini me paulò ſuperiùs diſputaſſe. Exclamatio eſt orationis elatio cùm doloris, aut indignationis affectu reperta, & ad rei magnitudinem augendam, admirabiliùs extollendam, ad vehementiùs turpitudinem exprobrandam maximè neceſſaria, quæ ſi, vbi iam animos auditorũ flexerimus, adhibeatur, aut poſt magnarum rerum perſuaſionẽ collocetur, acriores affectus permouebit. Valet enim plurimùm ad miſerationẽ excitandam, ad animos legentium commouendos, auertendos, & cùm inuehimur, acriùs inflammandos. Feſtiua certè orationis figura, ſi tamen non fuerit frequens, neq; diuturna; nam quemadmodum ſi opportunis locis inſeratur, cõcionem ornat, venuſtatem habet, & mirè auget ſermonis ſplendorem: ita ſi nõ fuerit opportuna, & indecorè ponatur, ineptiſſimã efficiet cõcionẽ. Quod planè periculum fugiet prudenter hiſtoricus, ſi non ad leuem oſtentationem, inanni eloquentia efferatur, ſed frenum ſibi ipſe iniecerit, & vbi rerum natura permiſſerit, arte & imitatione retenta tantummodò exclamauerit. Anaphora

phora ſeu relatio, ſeu repetitio eſt, quando vnum, aut plura verba, in principijs aut inciſorum, aut membrorum, aut periodorum cum venuſtate repetuntur. Quæ quidem frequentiſsima eſt hiſtoricis, cùm nullus ſit orationis color, qui magis ad ornatum conferat, quo crebriùs liceat vti, qui tam varijs dicendi generibus congruat: reddit enim orationem concinniorem, habetq́ leporis, & dignitatis non parum; grauitatis & acrimoniæ plurimum. Proſopopœia eſt, qua aliena perſonæ orationem cum geſtu, & voce referimus, aut rebus inanimatis ſermonem tribuimus, ad acriùs hominum animos cõmouendos: fit enim ea, vt auditis his perſonis, aut rebus, quæ loquentes inducuntur, auditores toto animo tremant, horreant, cõtremiſcant. Eſt autem hoc orationis ornamentum, non modo hiſtorico, ſed omni ſcriptorum generi vtiliſsimum, quo paſsim legẽtium animos partim excitant, partim reficiunt, & recreant; relaxat ſiquidem ſpiritum iucunda, & grata Proſopopœiæ varietas, confertq́ nõ parùm & ad exornationem, & ad grauitatem cõcionis, ſi tamẽ fictionem perſonarum, rerumq́ dignitas, atq́ natura patiatur. Exempla vero horum præceptorum ſuppeditabunt Liuij, Saluſtij, & alio

rum

rum crebræ conciones, quibus hoc loco propoſitis poſſem, & rei huius artificiũ latiùs aperire, atq́ illuſtrare, & inſtitutam diſputationem augere, niſi certæ me cauſæ à ſuſcepta, propoſitaq́ ſententia dimouerent, quibus egomet mihi huius operis componendi breuiſſimum tempus ab initio perſcripſi: quod deum teſtor, & intra mẽſem ſcripſiſſe, & Typographo excudendum tradidiſſe; ita vt à primis ſuis lituris mutandi, demẽdiq́ aliquid, temporis anguſtia omnem prorſus poteſtatẽ ademerit. Liberum cuiq́ credendi, quod libuerit, arbitrium relinquo, quod verò ad me attinet, non ſum adeo demens, impudens, aut impurus, vt id audeã iureiurando aſſerere, de quo aut verè vnquam poſſim conuinci, aut ſi cum aliquo lis haberetur, productis teſtibus omni exceptione maioribus, eam non poſſem quouis iudicio conteſtari. Nunc autem de collocatione diſpoſitione rerum, quæ narrandæ ſint, Laconica breuitate agamus: Nullus quidem erit præſtantior ordo, quàm ſi eundem, quo geſtæ res fuerint, ſequatur narratio; qui totus vel in principio, vel in narrationis progreſſu poſitus eſt. In principio ſedulò cauendum eſt, ne oratorum aut poetarũ more exordiamur; ſed ita ducamus narrationis initium

Narratio ordinem rerum geſtarum ſequi debet.

Ordo narrationis partim in principio partim in fine poſitus eſt.

plificatione aliqua rerum, quæ narrandæ erunt; à tēpore, quo aliquid actum fuit, vel quo res geri cœperunt; à breuiſsima quadam rerum geſtarum ſumma; à profectione ab vno loco & bello ad diuerſa loca & bella; aut deniq; à ceſſatione bellorum externorum, vt inde magis interna narrare incipiamus. Sed ſingulos hos modos hiſtoricorum exemplis illuſtremus, vt quomodo exordiendum ſit, apertiùs exponamus. A cauſis Macedonici belli Romanorum contra Philippum Titus Liuius ſic exorſus eſt: Cæterū cœptum eſt bellum aduerſus Philippum decem ferè ante annis, triennio prius depoſitum erat: cum Ætoli & belli & pacis fuiſſent cauſa: Vacuos iam deinde pace Romanos, & infenſos Philippo, cùm ob inſidiam aduerſus Ætolos aliosq; regionis eiuſdem ſocios pacem, tùm ob auxilia cum pecunia nuper in Aphricam miſſa Annibali, Pœniſq; preces Athenienſium, quos agro peruaſtato in vrbem compulerat, excitauerunt ad renouandum bellum. Sub idem ferè tempus & ab Attalo Rege, & Rhodiis legati venerunt nuntiantes, Aſiæ quoq; ciuitates ſolicitari. A conſiliis, ſic idē Liuius initium deſumpſit: Cn. Fuluius Centimalus, P. Sulpitius Galba Coſs. cū idibus Martiis

Lib. 41.

Lib. 36.

ſtis magna clade eos caſtigauit: in Liguribus omnia erant, quæ militem exercitarent, loca montana, & aſpera, quæ ipſis capere labor erat, & ex præoccupatis deiicere hoſtem: Itinera ardua, anguſta, infeſta inſidiis, hoſtis leuis, & velox, & repentinus, qui nullum vſquam tempus, nullum locum quietum, aut ſecurum eſſe ſineret: Oppugnatio neceſſaria munitorum Caſtellorum, laborioſa ſimul, periculoſaq., inops regio, quæ parſimonia aſtringeret milites, præda haud multùm præberet. A tempore, quò aliquid geſtum fuit, ſic duxit idem Liuius initium: Annus hic erit inſignis noui hominis conſulatu, inſignis nouis duobus magiſtratibus, prætura, & curuli ædilitate: hos ſibi patricij, quaſi verè honores pro cōceſſo plebi altero conſulato plebs conſulatum L. Sextio, cuius lege partus erat, dedit: patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, ædilitatem Cneo Quinto Capitolino, & P. Cornelio Scipioni ſuarum gentium viris gratia cā peſtri ceperunt. Idem à tempore, quo res geri cæperunt auſpicatur hoc modò. Iam ver apparebat, cùm Annibal ex hybernis mouit, & nequicquam antè conatus, tranſcendere Apenninum intollerandis frigoribus, & cum ingēti

Lib. 7.

Lib. 33.

 periculo

ſederant Samnites, eò quatuor millia hominũ miſſa. Eodem anno Arpinatibus, Trebulaniſq́; ciuitas: Fruſinates tertia parte agri damnati, quòd Hernicos ab eis ſolicitatos compertum, capitaq. coniurationis eius, quæſtione ab COS. ex S. C. habita virgis caſi, ac ſecuri percuſsi. Tamen ne prorſus imbellem agerent annum, parua expeditio in Vmbria facta eſt, quòd nuntiabatur ex ſpelunca ea quadam, excurſiones armatorum in agros fieri: In eam ſpeluncam penetratum cum ſignis eſt; & ex eo loco obſcuro multa vulnera accepta, maximèq. lapidum ictu, donec altero ſpecus ore (nam peruius erat) inuento, vtræq. faces congeſtis lignis accenſæ, ita intus fumo, ac vapore ad duo millia armatorum ruentia nouiſsimè in ipſas flammas, dum euadere tendunt abſumpta. Qui verò Imperatorum excellentiumq. perſonarum vita ſcripſere, paſsim à perſonis eorum, quorum facta commemorant, exordiuntur; patent, per multa vbiq. exempla apud Suetonium, Plutarchum, Philoſtratum, & alios. Iam tranſitio ex præfatione illa breui ad narrationem fieri debete odem orationis vinculo, ita vt res eadẽ cõtinuata, nullo modo ſeparata agi videatur, quòd

iudicio, arte, & prudentia conſtat. In rebus autem narrandis, ea primùm adhibenda cautio eſt, vt quæ primo, quæ ſecundo loco, quæ tertio, aut quarto geſta ſint, temporibus diligenter dinſtinctis atq. ſapienter notatis exponantur; ne quid perturbatè, nihil præpoſterè, vel ordine inuerſo dicatur; omniaq. à principio vſq. ad finem ipſa luce clariora videantur. Nam cùm triplex ſit narratio, Poetica, Oratoria, et Hiſtorica: poetica narratione non ab initio, ſed à finè res ipſæ explicantur, quòd duplici de cauſa facere ſolent Poetæ, primùm, ne poemata ſua plus iuſto dilatare cogantur: deinde, vt deos, Heroes, clariſsimoſq. viros inducentes ampliora ea, & illuſtriora reddantur, quòd ita fieri à Poetis debere, præcipit Ariſtoteles. Unde Virgilius Poetarum optimus res geſtas ab Ænea narrare incipiens, exorſus eſt à profectione eius ab inſula Sicilia in Italiam, vt orta tempeſtas deduceret eum Carthaginem ad Reginam Didonem, cui vrbis Troianæ excidium, & totam nauigationem ſuam 2. & 3. lib. explicaret. Quo factum eſt, vt Æneas tùm omnia breuiùs expoſuerit, tùm poema ſuis verbis illuſtrius reddiderit, quã ſi Vergiliùs ipſe ſolùs narraßet. Oratoria verò

Quo modo poetæ, Oratores, & hiſtorici differãt in modo exordiendi.

In lib. de art. poe.

narratio

narratio nullis hiſce legibus aſtricta eſt; nam cum Orator omnia referat ad vtilitatem cauſæ, quam vnam intuetur, inde auſpicatur, vnde vtiliùs futurum eſt cauſſæ initium, & eò vſq; procedit, quò vſq; neceſſitas poſtulat. Hiſtorica autem narratio eſt, qua res geſtæ ita narrantur, vt perpetuò temporum ſeries ſeruetur, in qua nihil eſt inuertendum, nihil addendum, nihil adimendum, nihilq́; prorſus mutandum, aut poſtponendum; ſed omnia eo ordine, quo geſta ſunt, ab initio ad finem vſq; exponenda. In ea cauſſa, conſilia, acta, dicta, euenta, totiùs narrationis progreſſu accuratè notanda ſunt. Quòd ſi quando ad maiorem rerũ, quæ dicuntur, perſpicuitatem (quod tamen nũquam niſi quando rei natura poſtulet, faciendum erit) contingat, digrediendum eſſe à rebus hiſtoriæ ad res connexas, & ſimiles diuerſis tẽporibus, vel eiſdem ab aliis nationibus geſtas, quarum collatio hiſtoriam ſæpè magis illuſtrat, atq; exornat; ſint illæ quidẽ digreſſiones ita cõciſſæ, & breues, vt cũ illico ad res hiſtoriæ reuertamur, non tã data opera digreſſos, quàm re ita poſtulãte videamur. Eſt enim digreſſio alicuius

Quid sit historica narratio

Quo modo digredi debeat hiſtoricus à rebus hiſtoriæ ad alias cõnexas.

rei,ſed ad narrationis ornatum pertinens, extra ordinem excurrens tractatio, quæ excurſus, egreßio, egreſſus, & expaciandi genus à Cicerone dici ſolet: Sumitur verò ab expoſitione rerum, à deſcriptione locorum, regionum, perſonarum; In medio, ſi quando digrediamur, celerius eò redeundum erit, vnde digreſſi ſumus; in fine, (quò iam feſſus legens recreetur) habet locum excurſus longius immorandi. Cæſar narrato eò bello, quòd cum gallis geßerat, ſic ad res Labieni legati, qui in hybernis erat, digreſſus fuit: Interim ad Labienum per Rhemos incredibili celeritate de victoria Cæſaris fama perfertur, vt cum ab Hybernis millia paſſuum circiter 60. abeßent, eòq́ poſt horam nonam diei Cæſar peruenisset, antè mediam noctem ad portas caſtrorū clamor oriretur, quo clamore ſignificatio victoriæ, gratulatioq́ ab Rhemis Labieno fieret. Digredimur etiam aptiſsimè à rebus ipſis, ad ea, quæ eiſdem temporibus alibi acciderunt, quòd Cornelius Tacitus fecit hoc modo: Sub idem, inquit, tempus Mithridates, quem imperitaſſe Armeniis, & ad preſentiam Cæſaris vectum memorauit filius Pharaſmanis opibus. Is rex Hyberius, idemq́ Mithridatis frater nuntiabat diſcor-

A quibus rebus ſumatur digreſſio.

Ceſar lib. 5. de bello Galli.

Lib. 11. Annaliū.

Quid ſi digreſſio.

diſcordare parthos ſummaq́ imperij ambigua, minora ſine cura haberi. Nam inter Gotarſis pleraq́ ſæua qui necem fratri Artabano, coniugiq́, ac filio eius præparauerat &c. De maxima verò fide, quæ ipſo iure hiſtorijs adhibenda ſit, dixit mea ſententia (vt ſolet omnia) eleganter iuriſperitiſsimus conciuis noſter Petrus Ludouicus Martinez in ſuis varia doctrina refertis Allegationibus, pro Regni cauſa acerrimè illa quidem in vtramq́ partem hactenus agitata (ſtatus verò eius eſt: An regi liceat iuxta Aragoniæ foros in Proregē virum quempiam exterum nominare) cuius ego res omnes, propter mutuum in meas amorem tantoperè diligo, vt verè cum Ouidio canere poſsim.

Longa dies citior brumali ſydere noxq́
Tardior hyberna ſolſtitialis erit. De Ponto lib. 2. Eleg. 4.
Nec Babilon æſtus, nec frigora Pōtus habebit.
Calthaq́ pæſtanas vincet odore roſas,
Quàm mihi illius veniat obliuio rerum.
Et cum Virgilio illud eius Adynathon
Ante pererratis amborum finibus exul, Eclo. 1.
Aut Ararim parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

Vſus ſen tentiarũ in hiſto ria & qualis is eſſe debat.

Exornant iam tandem hiſtoriam ſelectæ ſententiæ, valentq́ plurimùm ad grauitatem, ad feſtiuitatem, ad docilitatem, ad copiam, ad vrgendum, ad impellendum, ad hortãdum, & , vt paucis multa complectar, nihil tam inſigne narrare poteſt hiſtoricus, quod adiuncta ſententia non augeat, & quodammodo perficiat. Etenim nulla pars eſt hiſtoriæ, quæ decentem ſententiam cõmodè nõ recipiat, dummodo illud in vniuerſum firmiter obſeruetur, vt ad quẽcunq́ finem ſententiæ proponantur, quouè loco conſtituendæ fuerint, perpetuum ac conſtitutum iudicium habeant. Illud etiam obſeruandum eſt, ne nimis frequenter repetantur; honeſtior eſt enim veſtis gemmis diſtincta, quàm tota gemmis operta; & ne præter decorum adhibeantur: abſurdum ſiquidem eſſet, gregario militi, aut lenoni graues ſententias tribuere, aut in re leui atq́ ludicra ſtoicorum paradoxa adhibere, cum qui ſententias proferat, quodammodo leges præſcribat. Unde fit, vt hiſtoriæ (ſi tàmen propriè ſuiſq́ locis tempeſtiuè inſerantur) non modo iucunditatem & acrimoniam, ſed dignitatem, fidem, & autho

rita-

ritatem plurimam exhibeant. Eſt autem ſenten tia dilucida quadam ratio, quæ commoda breui tate demonſtrat, quid in vita ſit agendum, aut quid fieri ſoleat; qualia ſunt Apophtegmata, quæ ſunt breuia quædam acutè & grauiter dicta ducum, legatorum, imperatorum, illuſtriumq́ virorum. Quarum genera affert quam plurima Quintilianus; nos potiora, & quæ hiſto riam magis deceant, breuiter proponemus. Quædam igitur ſententiæ ducuntur ex partibus con trarijs, vt obſequium amicos, veritas odium parit; concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur: dicere honeſta pulchrum eſt, turpia iniquum. Aliæ ex partibus diuerſis, vt, facilis eſt virtus, difficilis virtutis aditus: ſciendi amor ad ſtudium impellit, labor reuocat, atq; retardat; Mors miſera non eſt, aditus ad mor tem eſt miſer. Aliæ ex contrapoſitione, vt, mors honeſta ſæpe vitam turpem exornat; vita turpis nec morti quidem honeſtæ locum relinquit. Aliæ ad perſonam referuntur, vt, princeps qui cupit omnia ſcire, neceſſe eſt multa ignorare: Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor: Auaro tam deeſt, quòd habet, quàm quod non habet. Aliæ ſunt ad rem relatæ; vt nihil eſt tam populare, quàm

Quid ſit ſentētia.

Libr. 8. cap. 5.

Sententiarum genera eſſe varia, & qualia ea ſint.

quam bonitas : nunquam expletur nec ſatiatur Cupiditas ſitis: vnũ pro multis dabitur caput. Alia ſimplices, vt, eſt ingens homini Theſaurus fidus amicus: Gratior eſt pulchrò veniens à corpore virtus: Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores. Aliæ figuratæ, quibus per ſingulas figuras variatur ſermo ſententiæ; vt per ſubiectionem; Quid eſt libertas? poteſtas viuẽdi vt velis: Quis viuit vt vuult? qui recta ſequitur, rationisq́ legibus obtemperat; cui viuendi norma prouiſa, & conſiderata eſt: Quæ dos matrimonij pulcherrima? vita pudica. Per exclamatione, vt, Hei quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu: Hei mihi, quod nullis amor eſt medicabilis herbis. Per Metaphoram, vt, conſilium poſt facta, imber poſt tempora frugum. Per Allegoriã, vt, fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris; nullaq́ eſt figura, à qua non rectè duci, aut variari poſsit ſententia. Sunt etiam aliæ alio relatæ, aliæ aliundè petitæ, aliæ ex geminatione; aliæ ex contrarijs, aliæ prouerbiales; aliæ ex coniuncta comparatione; quædam etiam vitioſæ ex verborum ambiguitate, aliæ vanæ, aliæ futiles, aliæ nimiæ, aliæ deniq́ non aptè cohærentes, quarum formas & exempla preclarè & diſtinctè Quintilia-

Quin. li. 8 c. 5.

167

tilianus, & Eraſmus tradiderunt. Atq; ſat ſit hac hactenus breuiter obſeruaſſe; dabitur enim, vt confido, aliàs de hac re vberius diſputandi commoditas,

Eraſm. commeta. 2. de Copia rerum.

Excuſsit Laurentius Robles Regni Aragoniæ Typographus Cæſarauguſtæ Anno à redemptione generis humani, CIↃ.D.XCI.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

[illegible]

[illegible] ... Cap. 9. §. 4.

[illegible]

[illegible]

FINE

[illegible]

[illegible] ... Cap. 3. n. 9.

Fol. 9 [illegible]

[illegible]

[illegible]

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

VITTORIO EMANUELE

FINE

LEGATORIA
R. SAL[illegible]A
Via Val Sassina, 58
Tel. 899.223

Digitized by Google